

1729.

1. Geibel, Johann Daniel : De homicidio
2. Hiltbrandt, Heinrich : De consensu hypothecae bene magistratus, quomodo feudum dominus usque ad nos notius  
Vn verpfändlichen und unverpfändlichen Magistrate  
und Lehen-Consensu.
3. <sup>17</sup> Kreller, Johann David : Imperatores Romani  
Germanici arte Imperatores Caroli etc.  
Brevis recensitio.
4. Muckhoff, J. Christophorus : De protractione  
iustitiae per responsa privata

1730.

1. Beckius, Joh. Torneus : De remediis contra senten-  
tias ob summam litis non appellabiles competen-  
tibus.
2. Vingerhoffer, Johann Christophorus : Brevis analysis  
I) et III) Cod. de metallis et metallis

1730

3. Voyn, Joannes Lucretius: De juramento in litem  
juris affectionis fragmento liberato.
4. Fichtner, Joannes Mauritius: Dissertatio inus juris  
sica, articulos quaeritionem: An patrilicium is  
testamentum minus solenni seu privilegiato percipere  
ut in alio solenni filio cuiusdam relicta legitime  
de caeteris bonis inter liberos pro lubito testari.
5. Freiesleben, Christianus Henricus: Derivationes  
ex argumento legis
6. Klumpff, Johann Thomas: De privilegio Henrici  
IV Romanorum regis Francofurtensis ad Saax-  
oniam civibus de filiabus libere collocandis obin. veto.
- 7<sup>a-6</sup>: Muehler, Bartholomaeus Sebastianus: De executione & executionis  
pendente appellatione Civita. Von Rechts erlaubter  
Vollziehung der Mittel während der Appellation. 2 Bunde.

8. Schwarz, Christianus Gallatinus: De obligatione pones.  
suis bonae fidei ad rem dominus restituendam.

1731.

1<sup>a</sup> et 2<sup>a</sup> Deitlinus, Georgius Historicus: De praesertim  
gallinaris sive Hutches. Jura. 2 Incept.

1731: 1743

2. <sup>art</sup> Deitlinus, Georgius Historicus: De singulari castro.  
Niederem iuris cura et inspectione. Von der Feuer.  
Schür.

3. Geigerus, Thomas: De transmissione actuum in foro  
Norico ex mente contributionum imperii non admitt.  
tendis

4. Harpprecht, Hannes Historicus: De utilitate ac necessi.  
tate remediae provisionalis in iudiciis Imperiali et  
Camerati

5. Koelerus, Johannes David: De imperiali sacra lancea.

6. Lincken, Georgius Historicus: De officio iudicis in ferenda  
sententia circa conjungendas diversas assessorum sententias.

7. Pfo, Joh. Adamus: De causis expensarum litis victoris  
a victo non refundendarum, sed compensandarum. Vna  
Curegenten Moresden, Na Gerichtskosten je vergleichen.

8. Rink, Eucharin Gottlob: De clypeorum ratione habita  
de in feudis alienandis. 2 Vahl. 1731. 1746.

9. Schmid, Johann. Fideicarius: De ministerio officialium  
cautionis loco et in fine officii praenumerandi. Vna  
Vorschuff derer Beamten

10. Schwarzgier, Christianus Gottlob: Σχολια γρ. Δολογικη  
ad proueniunt institutionum juris e collatis  
~~III~~ articulis nris. varisque libris impressis.





DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA

DE

IVREIVRANDO

IN LITEM

PRETII AFFECTIONIS

FIGMENTO LIBERATO

QVAM

ANNVENTE DEO TER OPT. MAX.

AVCTORITATE ET CONSENSV

MAGNIFICI

ICTORVM ORDINIS

PRO LICENTIA

SVM MOS IN VTROQVE IVRE

HONORES AC PRIVILEGIA

LEGITIME CAPESSENDI

BENIGNO ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIT

IOANNES LAVRENTIVS DORN


NORIMBERGENSIS

DIE XXI. MARTII A. MDCCXXX.

ALTORFII NORICORVM

TYPIS MAGNI DANIELIS MEYERL

IN NOMINE DOMINI AMEN  
LUDWIGUS REX  
IN FIDEM  
PREFATI APOSTOLICI  
LITTE RE NOSTRE  
ANNUNTIATE DEO TER OPT. MAI.  
AVGUSTO 1574  
IUSTORUM ORDINIS  
PRO LICENTIA  
SYMMONIS DE VITROVILARE  
HONORIS CANTUARIE  
LITTE RE NOSTRE  
SIX. GNO. AN. 1574. JAN. 15.  
LUDWIGUS REX  
ALBERTUS REX  
LITTE RE NOSTRE



r  
r  
a  
v  
f  
r  
P  
i  
q  
D  
t  
j  
n  
p  
a  
z  
ff





## Q. D. B. V.



Dissertationi nostræ tale selegimus argumen-  
 tum, quod, si ullum aliud, maximis invo-  
 cum dubiis esse, *theoretici* una cum *practi-*  
*cis* facile nobis largituri sunt, nec ipsi *Le-*  
*gulej* ibunt inficias. Circa *theoriam* enim  
 hujus juramenti, quam plurimæ sese offe-  
 runt controversiæ & dubitationes, distinctio quippe inter ju-  
 ramentum in litem *veritatis*, *singularis utilitatis*, & denique  
*affectionis*, ab aliis penitus, ab aliis ex parte rejicitur, nemine  
 vero definitente quidnam sit id, quod vocamus *pretium*, quid  
*singularis utilitas*, quid *affectio*, lectores dubii manent, ve-  
 rusne Doctores intersit dissensus; num de terminis litigent.  
 Porro disputant quibusnam casibus jusjurandum hoc locum  
 inveniat; sitne voluntarium an necessarium? &c. Ad *praxin*  
 quod attinet, in Gallia & Belgio usum jurisjurandi hujus vel  
 nullum vel exiguum esse fatetur HUBER in *præl. ad ff. h. t.*  
 Decus illud Saxonix CARPZOVIVS vir in rerum argumen-  
 tis versatus ut nemo magis, præmissa distinctione inter jus-  
 jurandum in litem affectionis & veritatis, adjicit: *non memi-*  
*ni tamen in Praxi differentiam hanc multum attendi, quin*  
*potius arbitrio judicis relinqui, quando juramentum hoc, sive*  
*affectionis, sive veritatis deferendum sit.* CARPZ. P. I. *Const.*  
*24. Def. 19.* Sic quoque B. DN. THOMASIVS in *Annot. ad*  
*ff. Tit. de in litem jur. toto cælo a moribus Germanix jusjurand-*  
*um*

Difficultas  
 argumeti  
 ratione theo-  
 riæ. præceos  
 & legum an-  
 tinomis ap-  
 parcentibus  
 repletur.

dum in litem aberrare, nec ipsa judicia frequentia ejus exempla allegare posse contendit. Quin imo in proverbium abiit: In actionibus ad interesse & injuriarum, lucratur nihil aut parum; at vero lucrare multa, si jurejurando quod vocant, affectionis pretium pro lubitu postulare ac determinare nobis liceret. E contrario autem non deficiunt alii practici, usum jurisjurandi nostri eximium prædicantes, ex quibus ILLVSTREM DN. WERNHERVM instar omnium allegasse sufficiat, qui in *selectis Observ. forens. vol. V. part. 8. Obs. 408. sat frequentia hujusce jurisjurandi hodieque exempla occurrere, adferit, ad quotidianam provocans experientiam.* Sed & ipsi *Leguleji*, si Leges non solum in *Titulo ff. & C. de in lit. jur.* exstantes, sed & aliis passim insertas titulis invicem conferant, habebunt in antinomiis conciliandis vastissimum ingeniolium suum exercendi campum, & sane si a distinctiunculis nihil significantibus atque ex quibus diversitatis ratio adparet, abstinuerint, opus aggredientur desperatum.

## §. II.

Methodus  
dicendorum.

Vt itaque ex istis fluctibus elucsemur, ita in hoc themeate versari animus est, ut præmissa succincta de jurejurando, damno dato & pretio doctrina, postmodum ostendamus, jurisjurandum in litem affectionis simpliciter sanæ rationi contrariari, nec apud Romanos (sæltim ex intentione Legum civilium) obtinuisse unquam, denique de genuino jurisjurandi in litem usu in foris Germaniæ, quædam adjiciamus, modumque ostendamus, ipsos, de Praxi ejus rixantes conciliandi.

## §. III.

Cui usui inserviat juramentum in litem, ex quo connexio cum dicendis apparet.

De eo nemo dubitat, actorem mediante jurejurando in litem, damnum sibi a reo in bonis datum certo pretio æstimare, qua de re ut distinctius constet, atque accurata definitio jurisjurandi possit a nobis formari, necesse est, in indolem

*juris*

*jurisjurandæ, damni dati, ejus reparationis, rerum pretii, atque affectionis inquirere, nisi enim hæc omnia solide intelligas, andatarum more una cum interpretibus, quibus omnis definitio in jure periculosa & anceps est, pugnabis.*

§. IV.

*Est autem jusjurandum clausula sermoni nostro accessoria, qua vindicta divina, si mendacium dicamus, in nos provocatur, ut is ad quem sermo noster directus est, veritatis dictorum nostrorum magis convincatur.*

Definitio jurisjurandi in genere.

§. V.

*Veritas hoc loco est convenientia verborum nostrorum cum interna intellectus nostræ persuasione: Persuasio autem hæc vel ex eo quod sensibus nostris usurpavimus, oritur, quod vocant Jcti: Jusjurandum veritatis, per eminentiam; vel præsumtionibus ac probabilibus opinionibus nititur, (quas alias Jcti præsumptiones hominis vocant) & juramenti credulitatis fert nomen.*

Quid veritas? quomodo differat a credulitate.

§. VI.

*Dico, jusjurandum esse clausulam sermoni nostro accessoriam (§. IV.) cujus asserti veritas ex ipsa jurandi formula liquet, sano sensu destituta, nisi aliquid jurato adseratur vel negetur: Vnde absque sermone principali nullum in rerum argumentis occurrere potest juramentum. Jam vero omnis sermo noster, cui superadditur jusjurandum vel eo redit, ut factum aliquod proprium futurum alteri promittamus, unde oritur pactum & promissum juratum, cujus species est cautio jurata; vel ut aliquid nos scire vel credere (vid. §. V.) adferamus sive negemus, & quidem vel factum præteritum alienum, quod vocatur testimonium juratum; vel factum proprium (eorum ad quorum facta præstanda obligamur) quo pertinent jusjurandum suppletorium, purgatorium, principale*

Omne juramentum vel continet juratam promissionem, vel testimonium, vel adferentem facti proprii præteriti.



*voluntarium*, alia. Ergo omne juramentum vel est *promisso jurata*, vel *testimonium juratum*, vel *adsertio* (quo etiam pertinet *negatio*) *facti proprii*, aut quorum *facta prestare cogimur*, *jurata*.

## §. VII.

Nemo in propria causa idoneus est testis.

Cum vero in omni eo, qui testimonium perhibet requiratur, tum ut sufficientem habeat cognitionem ejus facti, quod contigisse contendit, tum ne quoad voluntatem, quod emolumenti sui causa dicere nolit veritatem, sit suspectus; hinc est, quod nemo in propria causa, ex qua lucrum aliquod in se redundaturum sperat, idoneus possit esse testis.

## §. VIII.

An in propria causa possit quis admitti ad juratam adsertionem facti proprii.

Eadem vero adducta ratio magis adhuc stringit, si quis de *facto proprio praterito* aliquid adserere debeat; qui enim alienum factum contigisse adserit, ei verendum ne alius etiam ejusdem facti habeat notitiam, sed cui proprium factum occultum adserendum vel negandum est, is magis impune committet perjurium: hinc est quod Leges civiles ad ejusmodi juramentum in *puncto principali* neminem admittant, nisi aliis imminiculis sit instructus, quo pertinet juramentum *suppletorium & purgatorium*; vel adversarius in *causa meri privati arbitrii & commodi* rem omnem conscientiae alterius committat, juramento ipsi sponte *delato* vel *relato*, quam ob causam etiam juramentum hoc *voluntarium* audit, & cum *transactione* passim in Legibus comparatur.

## §. IX.

In puncto incidente facilius tele jusjurandum admittitur. An vero jusjur. in litem principale fit an inc deus queritur.

Notanter dico: in *puncto principali & fundamento agendi* nec juratum testimonium, nec adsertionem facti proprii juratam locum habere (§. VII. & VIII.) facilius tamen in puncto incidente, veluti quod quis non dolose tertiam aut quartam dilationem petat, &c. At vero si dicam, me esse haredem

dem Lucii *ex ejus testamento*, ant *ab ipso legatum* mihi esse relictum, cogor *probare* intentionem meam, & nihil me juvabit, quod ad juramentum me offeram. Sic quoque si adferam, Titium mihi *ex emto* debere centum, & me ad jusjurandum esse paratum, inepta erit actio. Priori autem casu allegatur factum alienum, scilicet testamentum. Posteriori casu, *factum* ex parte *proprium*, dum dico Titium *mecum contraxisse*. Sed & neutro casu *reus potest* se offerre ad jusjurandum ob eandem rationem. Ergo hoc superest, ut actor plene *probet*, vel jusjurandum reo *deferat*, vel alterutro *semiplene probante*, jurijurando *suppletorio* aut *purgatorio* locus sit. Saltim nunc quaeritur: Jusjurandum in litem adficiatne punctum aliquem *incidentem*; an *principalem*? Sane cum *reus tanti sit condemnandus, quanti in litem juraverit actor*, juramentum hoc punctum tangere principalem, lippus sit, qui non videat; quamvis ambabus manibus largiar, circa ipsum *fundamentum agendi* jusjurandum in litem minime versari: Quod ut evidenter adpareat, exemplo rem illustrabo: Fac, adultum, finita tutela, a tutore suo petere rationum redditionem, bonorumque quæ hæcenus administravit, secundum inventarium restitutionem: Et fundamentum agendi quidem erit; reum *gessisse tutelam*, pupillique *bona* administrasse hæcenus; nihilominus tamen si inventarium deficiat, litis decisio pendebit *e quantitate pupillaris patrimonii determinanda*: Quæ cum ita sint, contra omnem analogiam Juris, sanam rationem & juramenti indolem foret, vel *adultum*, seu *adorem*; vel *tutorem*, seu *reum* ad jusjurandum simpliciter admitti. Frustra clamitabunt dissentientes; hæc contra notissimam Juris Romani ac Germanici praxin a me defendi, cum secundum Jus Romanum *jurijurando in litem* locus sit, secundum Jus Germanicum autem tutor ad juratam specificationem admittatur; Nam ad juratam specificationem quod attinet, praxis ubivis recepta ita se habet: offert reus catalogum (sive  
specifi-

specificationem) bonorum, qui communicatur cum actore, ut monita sua circa singulas res, tam expressas, quam omis-  
 sas, possit actis adijcere, admittitur etiam ad probationem, si  
 velit docere, reum non rite indicasse bona &c. quibus omni-  
 bus excussis, tandem reus admittitur ad iurandum, quo  
 affirmat, se in catalogo, actis adjecto, iuste ac rite omnia in-  
 dicasse, quod iuramentum, nisi fallor, ex eo haud exigua ca-  
 pit *adminicula*, quod actor, ad monita addenda admissus, vel  
*nulla plane adducere saltem nihil probare* potuerit, quo fidem  
 catalogi (seu specificationis) dubiam redderet. Quod au-  
 tem *iurandum in litem* in praxi vel *instar suppletorii*, vel  
*tacite a reo delati* sese habeat, suo loco infra demonstratum  
 dabimus.

## §. X.

Damnum in  
 genere quid?

Damnum, quod jam expendendum sequitur, vel latius  
 vel strictius accipitur. *Damnum* in genere idem quod *lesio*  
 denotat, estque *quodvis factum felicitati alterius*, (sive, ut  
 recentiores quidam loqui amant: officiis determinatis iure  
 pleno debitis) contrarium, contra Legum prohibitionem  
 commissum. *Felicitas* autem Philosophis vocatur, *vita sana*  
*atque integro corpore & tranquillo animo peracta*. Vnde cum  
 vulnus integritatem corporis destruat, iniusta vulneratione  
 læsionem & damnum inferri consequens est, idem de stupro  
 dicendum, cum enim non parum ad tranquillum animum vi-  
 tamque tuendam, honestum conferat matrimonium, ejusque  
 spes, illato stupro auferatur, quin per stuprum honeste vivens  
 fœmina lædatur, damnumque sentiat, nullum est dubium.

## §. XI.

Damnum  
 presse dictum  
 quid?

Sed cum vita nostra absque rebus conservari non possit;  
 is etiam, qui res, sive dominio nostro subjectas, sive in quas  
 effectus aliquis domini, veluti ususfructus, pignus &c. com-  
 petit, sive denique jus ad res habemus, quasque vel vere pos-  
 sidemus,



fidemus, & possidendi jus habemus, nobis intercipit aut dare detrectat, is pariter nos lædit (per §. X.) quæ læsio pressius damnium vocatur, unde *damnum stricto significatu est læsio per interceptionem rerum, juri alieno obnoxiarum, illata.*

§. XII.

Idem vero illud Jus Naturæ & Civile, quod a læsionibus & damnis abstinere nos jubet, obstringit nos etiam ad damni <sup>Quid damni d. si reparatio in genere?</sup> dati reparationem, qui enim alteri non debet intercipere felicitatis humanæ media, is, quantum in se est, efficere debet, ut quæ intercepit, læso restituatur, vel denegata & debita offerantur, quod est læsionem reparare, quæ *reparatio*, latius accepta nihil est aliud, quam *factum*, quo, quantum fieri potest, *efficitur*, ne læsus amplius sentiat ingratos & felicitatæ suæ contrarios effectus, e prævia læsione provenientes.

§. XIII.

Notanter dico: *Quantum fieri potest*, neque enim omnis læsio patitur, ut damnium reparetur. Sic licet cædes hominis sit læsio (§. X.) per rerum naturam tamen reparari nequit <sup>An & quantum omnis læsionis reparationis procedat? ubi de actione injuriarum.</sup> directo: attamen si viduæ & liberis, quos interemptus alere debuerat & poterat, præbeantur alimenta, læsio ipsis, per eadem mariti & patris per consequentiam illata, damni reparatio utcunque fit. (per §. præced.) Sic quoque si manus alicui amputetur, læsio est (§. X.) sed iterum irreparabilis; attamen si manu sibi quis quæsivit victum, nec de alimentis sibi, manu truncatus, prospicere amplius possit, si præbeantur illa, damnium utcunque reparatur (per §. præced.). Læsio famæ nostræ illata, si per calumnias efficiatur, ut alii injuria affectum nebulonem aut ineptum hominem reputent, quo ipso sæpe occasio honeste se alendi intercipitur: vera est læsio (per §. X.) eademque pariter reparatur revocatione calumniarum atque honoris declaratione. Ex quo obiter patet, vehementer

B

ter

ter eos falli, qui vel ex hypocrisi vel saltim ut hypocritis pollicem premant eorumque mereantur favorem, omnes injuriarum actiones simpliciter ad vindictam tendere, & christianæ religioni contrariari, defendunt; quamvis multis actionibus injuriarum multum stultitiæ inesse, lubenter confiteamur.

§. XIV.

Quid sit damni prorsus dicti reparatio?

Sed *damni pressus accepti* (§. XI.) *reparatio* consistit in *prestazione vera vel ipsius rei, iudem usus inservitura, quibus illam latus destinaverat, & qua hæcenus injuste privatus erat: vel rei æquipollentis*. Veritas hujus definitionis facile intelligitur ex dictis §. XII. Cum enim læsio in genere reparatur, si efficiatur, ut læsus non amplius sentiat effectus læsionis, felicitati suæ contrarios; & in læsione pressus dicta, effectus isti sint, quod cogatur re, quam usus suis juste adhibuisset carere, (§. XI.) sequitur læsionem duplici modo posse reparari; altero si præstetur res ipsa, & quidem integra, non deteriorata, non præpostere, debito loco, sumtibus lædentis, paucis *cum omni causa*; Quod cum non semper fieri possit, altero modo *damnum* reparatur, si alia quædam res sed acquisitione sua jacturam alterius rei faciens, h. e. res æquipollens in subsidium præstetur. *Æquipollens* ejusmodi solet etiam *pretium* vocari, in cujus indolem restat, ut distincte inquiramus.

§. XV.

Pretium oratorum cum pretio morali & juridico non est confundendum.

Quod ut fieri possit, postulo mihi dari, pretium in sensu morali & juridico acceptum, non esse cum pretio uti illud sermone vulgari & per fucum quendam oratorium accipitur confundendum. Notissimum enim est, oratores ob quæcunque tertium comparationis per allegoriam & metaphoram vocabula minus proprio in significato accipere, qui postmodum æque ac propria significatio usu frequentatur, eoque facto

cto difficile postmodum est, alterum significatum ab altero distinguere, imprimis si notio vocabuli genuina, ne quidem sensibus statim obvia sit, sed demum meditatione erui possit; atque idem illud in pretio observatur. Sic cum avari homines nullis rebus magis, quam quæ magno pretio vendi possunt, vel ex quibus multum redituum percipiunt, delectentur, oratores ob hoc tertium comparationis omne id, quod nobis gratum est, sive quo delectamur, quodque utilitatem nobis quamcunque adfert, rem magni pretii vocant. Sic dicunt amicitiam alicujus sibi in magno pretio esse; hominem suis usibus inserviturum, hominem magni pretii vocant; si servus quidem iste esset homo proprie pretium de ipso prædicaretur, sed cum liber sit homo, qui nec vendi, nec permurtari possit, lippus sit, qui non videat, pretii vocabulum minus proprie de eo dici; tempus quoque res pretiosissima & magno in pretio habenda passim dicitur, quia scilicet utile nobis est, attamen nec vendi potest, nec alio contractu oneroso acquiri; imo cum pretium detur pro re alia, omne vel præmium vel pœna, ob tertium illud comparationis pretium vocatur. Sic *Juvenal. Satyr. 13.* scribit:

*Ille crucem sceleris pretium tulit, hic diadema.*

Quod si igitur lectori meo dubia quædam circa ea, quæ de pretio (imprimis de pretio affectionis) sumus dicturi, in mentem venerint, ea facile eximentur, modo pretium inter *oratorium & juridicum* distinxerit.

§. XVI.

De vero itaque pretio ita tenendum est: Vt felicitati nostræ prospiciamus, opus est rebus atque operis aliorum, quod e communi experientia sole meridiano clarius elucet, dum, ut ea, quæ ad victum, amictum, habitationem, valetudinem tuendam & commoditatem requiruntur, obtineamus,

Origo pretii  
& fundamentum in  
Jure Nat.

singulis diebus ingens hominum numerus vel res suas vel operas in nos conferat necesse est. Quoniam autem quod in te operarum mearum rerumque confero, cum jactura mea plerumque est conjunctum, & mihi autem non minus competit Jus, propriam meam promovendi felicitatem, quam mihi incumbit obligatio, te felicem reddendi, quo sensu dicimur obligati ad diligendos alios homines æque ac nosmet ipsos; Hinc quamdiu tibi mediæ felicitatis meæ supersunt, & quæ tu a me flagitas, cum propria jactura in te conferre debeam, summo jure abs te reciprocum aliquod felicitatis meæ medium postulabo, ut dum ea invicem permutamus mutua nostra promoveatur utilitas. Scilicet est is sapientissimus humanorum officiorum nexus, ut, dum non ad omnis generis operas singuli sumus apti, nec res dominio nostro subjectas in alios convertere usus possumus, quam quos natura rerum singularum patitur, etiam ditissimus quisque subinde aliorum hominum rebus operisque indigeat, cum e contrario ipsi in promptu sint, quibus aliis hominibus possint prospicere.

§. XVII.

Requisita veri ac morali pretii.

Vt autem talis permutatio rerum, operarumque procedat, præter 1) *utilitatem* latissime acceptam (§. præced.) requiritur 2) ut res vel opera alicujus *dispositioni* sit subjecta, quæ enim sufficiunt omnibus, atque a nemine sunt acquisita, ut ær, calor & lumen solis &c. utut utilissima sint, ne minimo quidem pretio redimuntur. Porro 3) dispositio requiritur *libera*, quæ enim ad certum finem per Leges divinas vel humanas jam sunt destinata & restricta, non possunt alium in finem quantacunque offeratur merces, adhiberi, adeoque extra commercium posita dicuntur, quod tum de *rebus*, veluti sacris; tum de *operis* verissimum est: Sic judex venalem habere justitiam seu *sententiam* non debet, sed ad infontem absolvendum, nocentem condemnandum obstringitur, sive merces

ces offeratur five non : idem de operis, ut vocant, spiritua-  
libus dicendum est. Hisce igitur requisitis præditæ res vel  
operæ si invicem permutentur altera alterius est pretium.

§. XVIII.

Ergo pretium proprie dictum est *mediū aliquid felicitatis* Pretii defi-  
nitio. *humana, (scilicet res vel opera) alicujus hominis libera dis-  
positioni subjectum, quod si offeratur pro alio felicitatis humana  
medio, alterius cujusdam hominis libero arbitrio obnoxium, ita  
sefe ad illud habet, ut alterius acquisitio & collatio jacturam  
alterius medii suppleat. (per §. XVI. & XVII.)*

§. XIX.

Consistit itaque pretium in comparatione rerum opera- Divisio pretii  
in vulgare &  
eminens. rumque diversarum, (§. XVIII.) jam vero vel comparari &  
permutari possunt res atque operæ *quacungq;* dummodo saltim  
requisitis §. XVII. adductis præditæ sint, quod vocatur *pre-  
tium vulgare*, vel consensu hominum, commercia invicem  
exercentium, *peculiare* aliquid *rerum genus* electum est, ut  
pretio quarumcunque rerum & operarum, dummodo pretium  
aliquod recipiant, inserviant, quod *pretium eminentis* adpella-  
tur, atque hodie in nummo five metallo publica autoritate  
signato apprehenditur.

§. XX.

Mei non fert instituti ratio de insigni pretii eminentis De utilitate  
pretii emi-  
nentis obiter.  
Ante pre-  
tium eminen-  
tium nullam fuisse  
pretii certi-  
tudinem de-  
monstratur. invento fusius disserere, atque adversus illos, qui pecuniã  
(forte ob abusum cui exposita est) execrantur, prolixius  
probare, nullum humani ingenii inventum utilitate sua pal-  
pam præripere invento nummi seu pretii eminentis. Vni-  
cum saltim errorem, qui non penitus a scopo nostro alienus  
est, & genuinum pretii conceptum non parum obfuscet, in  
transcursu nobis liceat notasse, scilicet falso & contra sensum

communem sibi persuasit PUFENDORFIVS de *J. N. & G. lib. V. cap. 1. & de officio hom. & civ. Lib. 1. cap. 14.* potuisse aliquod ac determinatum pretium rebus operisque imponi, antequam de pretio eminente inter homines convenisset, imo hoc vere factum esse contendit, adeoque pretium in genere definit *quantitatem moralem*, atro notans carbone *Philosophos, saltem de quantitate rerum ex dimensione longitudinis, latitudinis & profunditatis* (miror tamen ipsum omisisse numerum) *judicantes, cum tamen ratio formalis quantitatis non in extensione, sed (sit venia verbo) in astimativitate consistat.* Cumque ista Philosophia Pufendorffii sic satis obscura sit, plerisque autem Philosophorum tam abjectus sit animus, ut quicquid non intelligunt, subtilius dictum mirentur ac approbent, hinc, ne dum omnes contenti fuerunt, pretium *quantitatem moralem* dixisse. Sed demonstratu est facillimum, seposito pretio eminente, nullam posse certitudinem pretii ejusque quantitatem concipi, & consequenter pretium non meliori Jure quantitatem *moralem* vocari, quam si quis illud numerum *moralem*, *ulnam moralem*, *præstantiam moralem*, & nescio quid non! vocare vellet. Pretium enim absolvitur comparatione rerum & operarum, uti tum ex §. præced. tum e sensu communi adparet, nemo enim pretium rei suæ indicare potest, nisi eam comparet cum re alia: Vnde si certitudo pretii fuisset ante nummum, debuisset constitui vel per Legem Civilem, vel per pactum generale hominum, eundem terræ tractum incolentium, vel per usum fori: Sed non potuit constitui per *Legem civilem*, cum sciri non posset, quidnam quisque esset desideraturus, & quasnam res in alium esset collaturus; ut taceam varias res & operas pedetentim & tractu temporis detectas & excogitatas esse: Ex eadem ratione nec potuit *pactio generali* determinari; denique nec *usu fori*; cum enim alius hoc, alius aliud, vel rei, vel operæ, pro alius generis re præstaret, non potuit esse *uniformitas* permutationum, conse-

consequenter *usus constans* defecit, ergo ante pretium eminens nullo concipi modo potest pretii certitudo. Sed si nummum supponas, tribus, quos adduximus modis certitudo pretii rerum ejusdem generis bonitatis & qualitatis introducta est: Cumque nummus numeratus in commercium veniat, pretium hoc eminens, absque ulla allegoria, *numero arithmetico & mathematico* determinatur. Ceterum hodie omne rerum pretium exputatur comparatione rerum atque operarum facta ad nummum, usque adeo, ut licet res diverſi generis invicem permutemus, ſingularum tamen pretium, facta antea ad nummum comparatione indagare ſoleamus. Hinc pretii imposterum facturi mentionem, potiſſimum de nummo volumus explicari atque intelligi.

§. XXI.

Ex eodem principio, quod pretium rerum diverſarum mutua comparatione perficiatur, aliam adhuc deducemus diſtinctionem: ſcilicet aut ita inter ſe comparantur res aut operæ, ut alter ab altero *reciproce* aliquid acquirat, veluti ſi tibi nummos dem, tu mihi calceos exhibeas; item ſi tibi pecuniam ſolvam, tu cœnam mihi pares &c. aut *damnum* ex quo *ladens nihil lucratus eſt*, pretio penſatur. Liceat melioris doctrinæ gratia illud vocare pretium mercis, hoc pretium damni dati. Diſtinctionem hanc quodammodo & per tranſennam, quod ajunt, ob oculos habuit DN. THOMASIVS in *Diſp. de pretio affectionis in res fungibiles non cadente Cap. III. vid. nova ejus addit. ad Huber. Præl. ff. Tit. de in lit. jur. ad §. 1. in fin. p. m. 394.* Pretium hoc damni dati maxime hujus loci eſt, adeoque de eo ſollicite diſpiciendum. Ante omnia adparet ex §. 18. eſſe hoc verum pretium, nam ad pretium non præciſe requiritur, ut uterque aliquid acquirat, ſed factum ut alterius rei acquiſitio alterius jacturam ſarciat, quod fit ſive uterque aliquid acquirat, ſive alteruter tantum (per

Pretium aliud eſt mercis, aliud damni dati.

(per cit. §. XIIX.) & hoc pretium solvi æquum est, cum enim ad reparationem damni in bonis dati quisque sit obstrictus, qui alteri media felicitatis humanæ interceptus (§. XII.) idque fiat, si in subsidium res equipollens præstetur (§. XIV.) sequitur lædentem obligari, sive ex damno isto quod alteri intulit locupletior factus sit, sive non, sufficit enim, damnum injuste datum esse.

## §. XXII.

Differre inter se pretium commune rei, pretium singularis utilitatis & affectionem, probatur exemplo primo.

Pretium autem hoc damni dati variis modis a Jctis consideratur, qua in re ne ullam committamus principii petitionem, juvat ab experientia atque exemplis incipere. Intererit mihi aliquis equum ex quadriga equorum ejusdem proportionis & coloris, & quidem præcise istum equum, qui mihi a Principe erat donatus, occurrit hic 1) damnum datum ratione corporis equi interempti. 2) ratione reliquorum equorum, qui jam ut singuli sunt considerandi, neque enim tribus equis vehi solent, qui magnificentia student ac splendore; Igitur cum quatuor isti equi, penitus æquales, sexcentis imperialibus a me potuisset vendi, jam pro singulis saltem centum & decem imperiales mihi offeruntur, ergo singulorum superstitum equorum pretium triginta imperialibus minutum est, vocant hoc Jcti pretium *damni emergentis & lucri cessantis*, sed rectius in legibus Romanis vocantur *causæ corpori coherentes*, atque ita pretium causarum corpori coherentium potest appellari. Denique 3) equus ille interemptus mihi a Principe donatus erat, atque ob id in magno pretio (sed in sensu §. 15. adducto) habebatur, atque id ipsum est, quod interpretes pretium affectionis vocant, quibus nos mox dicam scribemus.

## §. XXIII.

Probatu exemplo secundo.

Juvat saltem plura pretia corporis, lucri cessantis, & denique affectionis species adduxisse. Possidet Sempronius integram seriem nummorum uncialium, Regum Poloniæ insignibus



signibus atque effigiibus signatorum, ex iis uncius uncialis, effigie Sigismundi I. conspicuus, interceptus est, & quidem quem Sempronius a compatre suo Iustrico dono accepit. Pretium 1) nummi uncialis commune omnibus notum est, sed jam accedit 2) pretium singularis damni & quidem si rem rite ponderes duplex: a) quod nummus iste uncialis regis Sigismundi I. fit rarissimus atque a collectoribus monetarum rariorum vel 100. imperialibus redimatur, β) quod seriem habeat nummorum Polonicorum Sempronius, & jam rarissimo nummo sublato, urget incompletam esse seriem suam, ac se postulare, ut interceptor istius nummi rarioris, reliquos unciales nummos Polonicos, eo quo ipse possessor singulos comparaverat, pretio redimat, sibi que habeat; denique 3) affectio in eo est, quod Sempronius nummum istum uncialem, a dilectissimo compatre suo acceperit, cujus sibi sanctam memoriam esse vel jurejurando vult adserere, renovari etiam sibi summo cum solatio sacri fontis memoriam, quoties uncialem istum nummum non sine piis meditationibus adspexerit, Ergo concludit, se jacturam hujus affectionis ducentis imperialibus taxare.

## §. XXIV.

Addam tertium exemplum: Possideo Corpus Juris cum Probatur  
tertia specie. *Dionysii Godofredi notis editum Frfr. MDCLXIII.* duobus tomis; cui libro ita adsuetus sum, ut, conspecto saltim initio paginae, statim sciam qualis Lex, saltim ex utilioribus Legibus, ista pagina occurrat, verbo: memoriam mihi localem, frequenti libri istius usu comparavi; hujus libri Tomum alterum intervertit Cajus Titius. Venit considerandum: 1) pretium Corporis, quod circiter erit 6. imperialium, adeoque dimidius liber tribus constabit, sed 2) pretium singularis utilitatis ex editione nascitur, dum editio istius anni vel 10. imo 12. imperialibus redimitur, praeterea altero volumine

C

Cor-

Corporis Juris intercepto, alterius etiam pretium postulo. Denique 3) affectio versatur in memoria locali; ego quidem jurarem me unicum istud Corpus Juris non cum centum aliis, conjunctim oblati permutaturum, Ergo cum centum Corpora Juris minimum quadringentis uncialibus constent, questio est, num possim pretii affectionis nomine quadringentos unciales flagitare?

## §. XXV.

Quarto  
exemplo  
vincitur.

Vnicam adhuc, in gratiam juniorum, adducam speciem. Possidet Lucius decem imagines, quibus decem hominum aetates a celebri quodam pictore, dudum defuncto, penicillo sunt expressae, in quibus effigies istius hominis, qui septuagennarium representat, forte fortuna simillima est avo Lucii beatæ memoriæ: & ecce! nebulo aliquis dolo malo hanc effigiem, quam avum Lucii representare, quisque cui vitæ beatæ facie cognitus fuit, quovis pignore certaret, rupit fregitque. Occurrunt in hoc damno dato 1) pretium perempti corporis; jam vero singulas imagines duobus uncialibus sibi redemerat Lucius. 2) succedit pretium damni emergentis, cui enim usui jam erunt reliquæ novem imagines? adeoque viginti imperialibus damnum hoc erit æstimandum. Sed 3) Lucius protestatur quam solennissime adversus hanc taxationem: dicit se imaginem avi sui non centum imperialibus alienaturum fuisse, & vel ideo quia pictor ille, nescio qua divinatione ductus, forte fortuna imaginem avi sui expresserit, sibi imaginem istam magni fuisse.

## §. XXVI.

Probat  
exemplis,  
pretium  
commune,  
pretium sin-  
gularis inter-  
esse singula  
separatum in  
rerum argu-  
mentis oc-  
currere.

Ex adductis a me quatuor speciebus (§. 22. - 25.) sole meridiano clarius elucet, posse pretium commune, pretium singularis utilitatis, & affectionem separatim mente nostra contemplari, ita ut tres distinctæ ideæ inde formentur. Sed jam ostendam, ista etiam debere ut diversa spectari, nisi summa inis, quadrata rotundis miscerè malis; exemplis enim com-  
proba-

probatum dabo, in ipsis rerum argumentis ista *separatim* existere atque occurrere. Nam quod ad rei *pretium commune* attinet, fac me in bibliopolio mihi emisse librum aliquem novum, cujus multa adhuc exempla in eodem bibliopolio supersunt, me librum istum deponere apud amicum, animo elapso demum septiduo illum repetendi; quamcunque depositarii perfidiam supposueris, nullo tamen modo ulterius interesse meum concipi poterit, quam commune libri istius pretium, quo illum comparavi, singulisque momentis alium redimendi adest occasio. Sed et 2) unicum *singulare interesse* potest concurrere, id quod exemplo comprobatum dabo. Moriebatur vetula quædam, quæ sciurum aliquem diu secum duxerat commensalem, curarum, vigiliarum, somnique focium. Testamento disposuerat, ut ei, qui alumnum hunc quadrupedem saltantem susceperit, singulis annis viginti quatuor imperiales, quamdiu sciurus viveret, solverentur, huic fini forte quadam, quam ipsa elocaverat, destinata, quod onus foetidum & scabie laborantem sciurum alendi, lubens etiam in se suscepit vetula quædam, testatrix amica, quam (si recte memini) testamento denominaverat, cui cura sciuri committeretur. Cave existimes, non valere, est enim legatum homini hoc modo, hac conditione relictum, *ut sciurum alat*. Sed ad rem; fac heredem interceptisse dolo malo sciurum, ut legatum lueri faciat, & amica actionem ad exhibendum instituens, si sciurus non fuerit exhibitus, *solum unicumque* (quod probe notandum) pretium *singularis lucri cessantis* poterit flagitare. Denique 3) exempla *soliis affectionis* circa rem aliquam amissam spectandæ rariora quidem sunt, occurrunt tamen. Possidet Lucius philothecam, seu librum, cui memoriæ causâ varii amici & patroni nomina sua cum symbolo inscripserunt. Inter alios femina quædam, obscuro loco nata, sed quam Lucius impense in Academia amavit, literas quasdam & sigla libello isto inseruit; quovis pignore certares,



tares, gallum gallinaceum unguibus conspurcasse libri paginam, quæ Lucio unice in deliciis est, utpote amassæ, jam absentis, memoriam servans, & jucundæ alicujus quam lusit, fabulæ recordationi inserviens. Fac aliquem dolo malo, ut ægre faciat Lucio, folium istud excisum intercipere, nec poterit Lucius aliam ob causam, quam unice *ob affectionem* jacturam istam ægre ferre.

§. XXVII.

Definitio  
pretii com-  
munis.

Jam, quicquid obstrepet JOH. BORCHOLTEN *Commentar. in Tit. ff. de in lit. jur. Cap. II. §. 15.* liceat cum Interpretibus, contra quos disputat, pretium singularis interesse ab affectione distinguere. Definimus quippe I.) pretium commune, *pretium (§. 18.) quo ejusdem generis res ab omnibus vendi potest (per §. §. 22. - 26. n. 1.)*

§. XXVIII.

Definitio  
pretii singu-  
laris inter-  
esse.

II.) Pretium singularis interesse vocamus pretium, quod ob peculiare certi individui circumstantias augetur apud omnes, in quos individuum istud unacum istis circumstantiis fuerit alienatum, potest & ita defini: est pretium commune peculiaribus certi individui circumstantiis cohærens. (per §. §. 22. - 26. n. 2.) *augmentum* hoc pretii provenit vel a *jactura* atque inminutione pretii bonorum vere acquisitorum, individuo intercepto cohærentis, quod est pretium *singularis damni emergentis* (vid. §. 22. - 25. n. 2.) vel e *empta spe* impofterum aliquid acquirendi, quod vocatur *pretium lucri cessantis* (v. §. 26. n. 2.)

§. XXIX.

Probat ex  
Legib. Rom.  
pretium sin-  
gularis inter-  
esse, tum lu-  
cri cessantis  
tum damni  
emergentis.

Ut *pretium commune* e Legibus probem, non est necesse, idem enim hoc foret, quod soli facem accendere; *sed pretium singularis interesse ob damnum emergens* evincitur ex *L. 2. D. ad Leg. Aquil. Proinde si servum occidisti, quem sub pena tradendum promisti, utilitas venit in hoc judicium. Item cause corporo-*

corpori coherentes aestimantur, si quis ex comædis aut symphoniacis, aut gemellis, aut quadriga, aut ex pari mularum unum vel unam occiderit. Non solum enim perempti corporis aestimatio facienda est, sed et ejus ratio haberi debet, quo cætera corpora depretiata sunt. Similes casus reperuntur in L. 34. §. 1. ff. de Aedil. Edict. L. 38. in fin. eod. Pretium quoque singularis interesse ob lucrum cessans evidens sit e l. 23. pr. & §. 2. ff. ad L. Aquil. Inde Neratius scribit; si servus heres institutus occisus sit, etiam hereditatis aestimationem venire. Julianus scribit: Si institutus fuero sub conditione, si Stichus manumifero, & Stichus sit occisus post mortem testatoris; in aestimationem etiam hereditatis pretium me consecutorum, propter occasionem enim defecit conditio.

§. XXX.

Tale autem pretium singularis damni emergentis, vel lucri cessantis etiam circa res fungibiles occurrere posse, liquet ex L. 3. ff. de in lit. jur. Nummis depositis, judicem non oportet jusjurandum deferre, ut juret quisque, quod sua interfuit, cum certa sit nummorum aestimatio, nisi forte de eo quis juret, quod sua interfuit, nummos sibi sua die redditos esse; quid enim si sub pæna pecuniam debuit, aut sub pignore, quod quia deposita ei pecunia abnegata est, distractum est. Item ex L. 12. Cod. de act. empt. vend. Sicuti periculum vini mutati, quod certum fuerat comparatum, ad emptorem, ita commodum aucti pretii pertinet. Utque hoc verum est; si certa qualitatis ac mensura, distracto vino, fidem placiti servandam esse convenit. Quo non restituto, non pretii quantitatis sed quanti interest, emptori competit actio.

Etiam circa res fungibiles occurrere pretium damni emergentis & lucri cessantis.

§. XXXI.

Denique III. affectio est desiderium peculiaris alicujus hominis ( unius forte aut alterius ) habendi sibi speciale aliquod

Definitio affectionis.

*individuum ob peculiare ejus circumstantias soli sibi proficuas*  
 ( §. 22. -- -- 26. n. 3. )

§. XXXII.

In quæ-  
 ne: an detur  
 pretium affe-  
 ctionis? Sta-  
 tus contro-  
 versia rite  
 est forman-  
 dus. Non jam  
 quæritur,  
 utrum ob  
 affectionem  
 quis juste po-  
 stelet, ut  
 ipsum cor-  
 pus exitans  
 sibi tradat-  
 tur? quod  
 affirm.

Supereff, ut jam ostendam, *affectionis nullum esse pre-  
 tium*, proprie dictum, quod ut appareat, & Leges, quæ no-  
 bis contradicere videntur, rite possint conciliari, *status con-  
 troversia* accurate est formandus. Non jam quæritur, *utrum*  
*affectionis in judicio habeatur ratio, hactenus*, ut qui affectio-  
 ne peculiarem *speciem* prosequitur, eam præcise exhiberi sibi  
 vel *restitui* juste petat; Hoc enim sine dubio affirmamus,  
 cum nemo invitus ad vendendam rem suam sit cogendus, &  
 primario quisque obligetur ad *rem ipsam* alteri dandam vel  
 restituendam; in subsidium demum ad æstimationem (*per §.*  
*XIV.*) Hæc ratio decidendi est *Legis 36. ff. de bon. libert.*  
*Libertus, qui solvendo non erat, præterito patrono, extraneos*  
*reliquit heredes. Quæro: an possit patronus petere contra tabu-  
 las bonorum possessionem? &c. multi enim casus intervenire pos-  
 sunt, quibus expediat patrono, petere bonorum possessionem,*  
*quamvis aris alieni magnitudo, quam libertus reliquerit, fa-  
 cultates patrimonii ejus excedat: veluti si prædia sint aliqua*  
*ex bonis liberti, in quibus majorum sepulcra sint, & magni*  
*æstimat (vid. §. XV.) patronus, bonorum possessionis jura pro*  
*parte ea ad se pertinere: vel aliquod mancipium, quod non*  
*pretio, sed adfectu sit æstimandum. Idem adparet ex L.*  
*54. ff. de Legat. 2. si cui fundus centum dignus legatus fuerit,*  
*si centum heredi, vel cuilibet alii dederit, uberrimum videtur*  
*esse legatum. Nam alias interest legatarii fundum potius ha-  
 bere quam centum, sæpe enim confines fundos etiam supra æ-*  
*stimationem interest nostra acquirere. Spectat huc etiam*  
*L. 31. ff. de minor. Si in emptionem, penes se collatam, minor*  
*adjectione ab alio superetur, implorans in integrum restitutio-*  
*nem, audietur, si ejus interesse entam ab eo rem fuisse, ad-*  
*probe-*

probetur: veluti quod majorum ejus fuisset, ita tamen ut id, quod ex licitatione accessit, ipse offerat venditori. Quamvis autem illa Lex cum nostra doctrina haecenus conspiret, videtur tamen Hermogenianus aliquid humani hic passus esse, cum vix eo casu restitutioni in integrum futurus sit locus; tum quod minorem inter & novum emptorem nihil est actum; tum quod restitutioni minoris demum locus est, si juris alicujus in re vel ad rem, vel ex obligatione personali sibi competentis fecit jacturam; sed in proposita specie contractus nondum pervenerat ad perfectionem.

§. XXXIII.

Nec porro quaeritur, utrum creditor ob peculiarem affectionem juste postulet, illud praecise fieri, quod sibi erat promissum? Cum enim pacta justa servanda sint; sive ob affectionem, sive quamcunque aliam causam aliquid fieri stipulatus sim, pacto erit standum. Hic sensus est *Legis 54. pr. ff. mand. sed si in hoc mandatum intercessit, ut servus manumitteretur, nec manumiserit & pretium consequetur dominus, ut venditor, & affectus ratione mandati agatur: sive filium naturalem vel fratrem esse. Placuit enim prudentioribus affectus rationem in bona fidei judiciis habendam.* Apparet e verbis ultimis inter antiquos controversiam agitatam fuisse, utrum ob affectionem agi possit? Ceterum amabo eum, qui adducta legis verba intellexerit; nobis fere destituti sensu, & per incuriam compilatorum, quibus duplex particula ET, mox repetita, imposuit, verba Papiniani transposita esse videntur, ut incongruo loco apodosin a protasi separaverint. Restitutus itaque eadem, adjecta quadam paraphrasi: *Sed si in hoc mandatum intercessit* (ut dominus servum liberum esse juberet) & pretium consequeretur dominus ut venditor, (& mandantem inter ac dominum servi de certo pretio pro servo solvendo convenerit, quanti alias servus constaret, si eum vende-

*Nec quaeritur: Utrum creditor, quia ob affectionem sua interest, juste postulet, id praecise fieri, quod sibi erat promissum? quod iterum affirm.*

venderet dominus,) *nec manumiserit* (dominus autem perdidit, poenitentia ductus, postmodum manumissionem perficere noluerit) & *affectus ratione mandati agatur* (mandans non solum, quia pecuniam solvit, verum &, quia ob affectionem sua interest, servum cuius libertatem redemit, manumitti, mandati actionem iuste intentabit, quam evitare non poterit dominus, pretium servi restitutus) *finge filium naturalem, vel fratrem esse* (cujus affectionis ratio exempli gratia esse potest, quod servus mandantem consanguinitate attingat.) *Placuit enim prudentioribus, affectus rationem in b. f. judiciis habendam.* Licet enim de hoc disputent JCI, utrum ob affectionem actio locum habere possit, cum cessare videatur interesse pecuniarium: facio tamen cum iis, qui quoad actiones bonae fidei id affirmant, quique mihi peritiores videntur. Si quis autem nefas putet, verba textus transponi, is illa etiam retinere poterit, hoc sensu: quod actor, mandati acturus, ante omnia pretium commune servi offerre mandatario, aut in iudicio deponere debeat, eoque facto, recte ob affectionem ad manumissionem ipsam perficiendam agere possit.

- §. XXXIV.

Nec quaestio est: utrum debeat multa promissa, quem quis sibi ob affectionem stipulatus est expresse: quam pariter affirm.

Deinde quando quaeritur: utrum si quis affectionis causa ut aliquid fieret vel non fieret pactus, *penamque seu certam multam*, si alter a fide data recesserit, *sibi stipulatus sit*, utrum *ex stipulatu vel pacto* (licet affectionis causa inito) agi possit ad multam solvendam; iterum quaestionem affirmo, nam jam ex ipso pacto & stipulatione multa petitur, pacta autem legem dare contractibus notum est. Pertinet huc *L. 6. pr. L. 7. ff. de servis export.* ad quas leges conferatur omnino **GODOFREDVS**, ad quem brevitatis studio lectorem remittimus. Atque inde est, quod Tribonianus in iis imprimis obligationibus ubi probatio & petitio ejus quod interest cum difficultate foret conjuncta, creditori commendat cautelam,

ut



ut certam sibi multam stipuletur, si debitor non fecerit,  
*§. ult. l. de Verb. Oblig. Adde L. ult. ff. de stipul. Prætor.*

§. XXXV.

Nec in hoc quaestio vertitur; utrum possessor peculiaris alicujus individui, cernens empturientem aliquem singulari affectionalem rem prosequi, rem istam majori pretio eidem vendere possit, quo alias illam fuisset venditurus? Nam hoc pariter affirmamus; *volenti enim emptori non fit injuria, & quisquis temere bona sua jactare amat, is vel solet satis amplam pecuniæ summam aliis donare, quidni rem vilissimam insolito redimeret pretio?* Exemplo rem declarabo: Adit Pamphilus mercatorem, argenteam sibi redempturus capsulam, pulveri sternutatorio asservando inservituram: promittit mercator aliquot capsulas, picturis feminarum quas ingenium pictori ministravit, ornatas. Pamphilus autem quandam ex his aperiens, quod forte fortuna imaginem illam Egeriæ suæ similem deprehendit, latatur summopere, atque trahens suspiria, hanc se capsulam 12. nummis aureis redempturum exclamat; Pamphilus noster generosi animi sui (pene dixerim stultitiæ) documentum editurus, promte etiam numerat, multum lætatus de imagine ista cum archetypi copia non detur. Similis casus obvenire poterit inter plures coheredes, quorum singuli peculiarem rem in hereditate repperam, ob singularem affectionem habere desiderant (ad quem similemve casum respexi, quando definitioni affectionis (§. XXXI. inserui verba *aut forte alterius*) quam interdum plurimum licitanti relinquunt. Quamvis si avaritia non penitus eorum pectora insedit, soleant potius sorte decernere, quis illam rem, soluto saltim consueto pretio, sibi habere debent, quod etiam judicem in judicio familiæ heriscundæ recte facturum existimo. Quicquid vero horum sit, istis casibus *volenti & consentienti* in foro humano non fit injuria.

D

§. XXXVI.

Nec quaeritur: utrum venditor, cernens emptoris affectionem erga mercem, hujus pretium augere possit? quod de quo affirmo.

## §. XXXVI.

Denique non  
quæritur:  
an add. sto  
casu tertius  
talem rem  
venalem in-  
tercipiens,  
ad pretium  
consueti  
majus obli-  
getur? Nam  
& hoc  
affirm.

Denique nec de hoc quæritur, utrum is, qui alteri rem (notanter dico) *venalem*, quam ob affectionem magno pretio esset redempturus tertius aliquis, interceptit, aut destruxit, domino rei tanti sit condemnandus, quanti dominus rem potuisset homini ob affectionem liberali vendere? id quod affirmamus. Sic in adducto §. præced. exemplo, si empturiens, post conventum duodecim aureorum pretium, abierit, pecuniam petiturus, atque alius imaginem istam fregerit, recte postulat mercator pretium duodecim aureorum, deducto saltem thecæ argenteæ pretio, aut theca reo oblata. Quanvis enim mera *affectio* fuerit intuitu *emptoris*, nihilominus tamen, ex ista affectione oriebatur pretium singularis *utilitatis*, respectu mercatoris; nisi enim tertius rem interceptisset, consueto pretio majus fuisset consecutus. Sed si supponas te affectione peculiari rem aliquam prosequi, aut in genere te nolle istam rem vendere, quam alter ob affectionem sibi acquisiturus, enorme tibi pretium offert, tunc sane per istam oblationem non augebitur rei utilitas, nec alio rem interceptiente, pretium rei crescet, uti e statim dicendis apparebit.

## §. XXXVII.

Sed quæritur: Si species ipsa impetrari nequeat, an ob solam affectionem actoris, ejus libita, pretium rei augetur? Cujus problematis negativa decisio demonstratur a priori.

Jam enim quætionem de pretio affectionis ita formamus. Quæritur, si species ipsa, vel factum ipsum quocumque jure nobis debita, vel debitum, impetrari non possit, neque tamen pœna speciatim atque expresse sit promissa, utrum præter pretium corporis, & singularis interesse, ob solam affectionem actoris, invito reo, pretium rei debita augeatur: hoc est: an detur affectionis pretium (non oratorium, sed) *juridicum & morale*? Quod problema ita formatum, nos simpliciter negandum esse, demonstramus: Omnis affectio oritur e circumstantiis peculiaris cujusdam individui, uni alicui aut saltem paucis

paucis quibusdam hominibus, iisdemque solis, proficuis (per §. XXXI.). Ergo si istud individuum haberi amplius nequeat, sive peremptum sit illud, sive non constet, ubi lateat, alius individui vel quantitatis acquisitione non potest jactura istarum circumstantiarum peculiarium suppleri. Jam vero pretium est, id quod jacturam alius rei supplet (per §. XXI.) Ergo affectionis nullum est *pretium damni*. Q. E. D. Multo minus vero affectio potest recipere *pretium mercis*. Cum enim circumstantiæ, ex quibus affectio erga speciem aliquam peculiarem oritur, soli *uni alicui* (aut *paucis*) sint utiles (per §. XXXI.) sequitur quod aliis, qui ista affectione destituuntur, licet vel maxime speciem illam acquirant, non prabeant utilitatem; ergo non effici potest, ut alius pariter affectione prosequatur idem individuum, & quod penitus inuicile est, ejus nullum est pretium (per §. XVI. & XVII. n. 1.). Ergo *affectionis* qua aliquis peculiarem rem prosequitur, *qua talis*, apud neminem alium aliquod est pretium, adeoque non datur *affectionis pretium mercis* (per §. XXI.) Q. E. D.

§. XXXVIII.

Frustra objeceris, in adducto supra §. XXXV. & XXXVI. Respondetur ad objectionem. casu de mercatore, occurrere omnino *pretium affectionis* atque exinde patere, quod alterius affectio, alteri *utilis* esse queat. Nam respondemus 1.) ipsam illam affectionem empturientis juvenis, & quidem *volentis*, efficere, ut per *accidens* aliquid lucretur mercator a *consentiente*, sed pone, juvenem denuo venditurum thecam suam (hic demum casus hujus loci est) neque reperiet is emptorem, nisi forte æque *solidum*, qui vix dabitur, 2.) si tertius mercatori thecam interceptit, non is postulat ab interceptore majus pretium ob *suam affectionem*; sed ob suum *interesse pecuniarium*, quod *auctum* erat ob affectionem istius, qui emere volebat.

§. XXXIX.

Pretium affectionis in legibus Romanis rejici ostenditur.

Philosophiam hanc nostram Legibus Romanis apprime conformem esse e multis textibus possumus evincere, ita enim PAULUS in L. 33. ff. ad L. Aquil. *Si servum meum occidisti, non affectiones estimandas esse puto, (veluti si filium tuum naturalem quis occiderit, quem tu magno emtum velles.) sed quanti omnibus valeret. Sextus quoque Pedius ait; pretia rerum non ex affectione nec utilitate singulorum, sed communiter fungi. Itaque eum, qui filium naturalem possidet, non eo locupletiores esse, quod eum plurimo, si alius possideret, redempturus fuit, nec illum, qui filium alienum possidet, tantum habere, quanti eum patri vendere posset, in Lege enim Aquilia damnum consequimur, & amisisse dicemur, quod aut consequi potuimus, aut erogare cogimur. Videtur quidem PAULUS verbis ultimis pretium singularis utilitatis cum pretio affectionis confudisse, idemque facere in L. 63. ff. ad Leg. Falcid. attamen si res penitus inspiciatur, supponit JCTUS, servum istum domino non fuisse venalem, ita ut ne patri quidem vendidisset, (vid. §. XXXVI.) hoc enim nisi dicas, aperta erit contradictio in his verbis: non illum, qui filium alienum possidet, tantum habere, quanti eum patri empturo vendere posset, & vellet, nam amisisse dicemur, quod consequi potuimus &c. Imo vero is, qui venditurus est patri filium, tantum consequi potest, quantum daturus est pater. Sed & Ulpianus negat dari pretium affectionis in L. 1. §. 15. ff. si quid in fraud. patron. Et alias videamus, si dicat patronus, veni quidem iusto pretio venisse, veruntamen hoc interesse sua, non esse venundatam, inque hoc esse fraudem, quod venierit possessio, in quam habet patronus affectionem vel opportunitatis vel vicinitatis, vel calz, vel quod illic educatus sit, vel parentes sepulti (sunt hæc exempla mera affectionis) an debeat audiri, volens revocare? sed nullo pacto erit audiendus, fraus enim in damno*

*damno consistit pecuniario.* Opponit hic evidenter Jctus affectionem, damno pecuniario, ita, ut ubi affectio sit, ibi nullum sit damnum, ejusdem Patroni pecuniarium; Ergo nec pretium damni, & ubi damnum sit pecuniarium ibi nulla sit affectio. Equidem videntur hæc repugnare nostræ status controversiæ formationi atque iis quæ diximus §. XXXII. Observandum vero est, actionem hanc Favianam & Calvisianam unice eo respicere, ne Patronus minus ex bonis liberti consequatur, quam Legibus ipsi est assignatum, vid. l. 1. pr. ff. si quid in fraud. patr. adeoque in ea non respici ad individua seu corpora, sed saltim ad pretia eorum, nos autem terminos habiles supra supposuimus, quo quis ex jure pleno, ipsum corpus, seu ipsam speciem, ipsasque res hereditarias, quæ tempore mortis adfuerunt, petere possit. Denique in L. 36. ff. de bon. libert. (cujus verba supra jam §. XXXII. adduximus) Favolenus Jctus disertis verbis, illa, quæ affectione aestimanda sunt, opponit iis, quæ pretio sunt aestimanda.

§. XL.

Sed ne ullum dubium circa pretii affectionis inconcinnitatem super sit, in gratiam eorum, quorum cœptum demonstrationes a priori transcendunt, & qui lege aliqua adducta, si glossator distinguat, inter regulariter & ordinarie atque irregulariter & extraordinarie, legem de exceptione, suam vero hypothesein de regula explicans, vultu ad venerationem composito, illico subscribunt sententiæ glossatoris, in gratiam, inquam & favorem ejusmodi hominum adhuc e sensu communi inconcinnitatem pretii affectionis probabo: Maneamus in supra adducta specie; intercepti tibi aliquis imaginem defuncti avi tui, suppono imaginem ipsam te non posse repetere; itaque queritur de ejus pretio. Concedes mihi, affectionem tuam in eo fundari, quod ista imago ad vivum representaverit faciem avi tui, & tu ejus potueris adspecta

Pretii affectionis futilitas etiam a posteriori probatur, exemplo imaginis destructæ.

imagine, recolere memoriam. Quanti jam æstimabis, quod avi tui non amplius, oculis tuis erepta imagine, recordari queas? dices, te centum uncialibus æstimaturum; sed an centum unciales efficient, ut imaginem recuperes, utque facies avi memoria tua ac imaginatione firmiter hæreat? Vix credo! accipe tu aliam imaginem senis alicujus, & avi tui beate defuncti prænomen, nomen, cognomen atque agnomen, honores, dignitates, imò & diem nativitatis ac mortis, ætatis denique annos adscribe, ita absque sumptibus affectioni tuæ & studio, conservandi memoriam avi, poteris consulere. Tu diccs: sed imago ista non similis est avo meo! Etiam; num vero 100. imperiales avo tuo magis sunt similes? Videsne affectionem non pretio æstimari.

§. XLI.

Et dotis.

Aliud adhuc adducam exemplum: Lucius sponsalia celebrans cum Mevii filia, stipulatur dotis nomine sibi duo millia imperialium; post celebratas nuptias, socer ipsi mittit adparatum variarum rerum, quarum inventarium hoc est; mitra, quam proavus suus capite suo impositam gessit, cum Magister crearetur, ut & coronam, quæ eidem tum temporis a formosissima puella, dono missa fuit, utramque Mevius memoriæ causa servavit, sed jam offert genero suo, ob pretium affectionis utramque æstimans 500. uncialibus. Porro crociantia, quibus solemnè nuptiarum die ornata incessit avia sua, eademque ob affectionem 300. uncialibus æstimata in dotem dat Lucio. Addit his ensen, quo patrem suum tres Turcas uno prælio interemisisse contendit, eumque æstimat 400. uncialibus. Præterea speculum amplum, multis quidem fissuris lacerum, sed quas beatus pater ingeniosè textit elegantè pictura, qua arborem consanguinitatis amplissimæ familiæ suæ expressit, ramos miro artificio ita distribuens, ut rimæ nullæ isto in speculo conspiciantur: adseverat, sibi specu-

speculum istud longe majori in pretio esse, quam aliud & integrum, & altero tanto majus, itaque æstimat speculum centum uncialibus. Denique addit etiam parvulum canem armilatam, non colore tantum niveo & corpusculi structura elegantissima, ac circino quasi dimensa, verum & actionibus variis artificiosis, quas pro docilitate ingenii addidit, commendabilem, dicit: fuisse sibi occasionem canem istum centum nummis aureis Principi fœminæ vendendi, sed saltem ducentis imperialibus, ob numerum rotundum æstimat. Hisce omnibus adjicit numeratæ pecuniæ quingentos unciales. Tu vero, putasne, fœcerum genero suo dedisse in dotem duo imperialium millia, & nonne potius censes, mutationi quâdam adjuncta, cum *Ovidio* ingeminandum:

*Vivitur ex astu, non hospes ab hospite tutus,  
Non gener a socero!*

Scio quidem dissentientes mihi objecturos esse: distingui debere inter *dotis dationem* & *juramentum in litem*, ob *dolosam rerum interceptionem* præstandum: At vero nondum ad finem perduxî speciem meam: Fac jam, justa incensum iracundia Lucium, res illas omnes in dotem datas, mobiles & se moventes, partim in fornacem, partim e fenestra projicere; quis diceret, dolosum fœcerum ad jusjurandum in litem admittendum esse?

### §. XLII.

Sed ne quis putet, pretii affectionis exactionem ab invito factam iis saltem casibus ridiculam esse, quibus affectio in *ambitione*, aut *voluptate* fundamentum habet, atque ita rebus vanis est annumeranda; exemplo etiam comprobatum dabo & eo casu cessare affectionis pretium, quo affectio *vera* aliqujus *utilitatis* futuris sustinetur, modo ista utilitas *personam non egrediatur*. Est profecto vera ac realis utilitas, in libro quodam amplo, qui non legendus sed lectitandus est, veluti

Et memorie  
localis in  
libro aliquo  
sibi com-  
parata.

Bibliis

Bibliis sacris, aut Corpore Juris memoriam sibi (ut vocant) localem comparasse. Sed fac, aliquem tibi interceptisse tuum Corpus Juris, non poteris *ad memoriam habuisse localem*, pretio æstimare, quodcumque enim acceperis pretium, non tamen aliud tibi emes Corpus Juris, in quo memoriam istam localem habiturus sis, non nisi *solo usu* non itaque pecunia acquirendam :) Nemo quoque vel unico obulo carius a te redimet tuum Corpus Juris, quia tu memoriam localem tibi in eo acquisivisti.

## §. XLIII.

Ex dictis  
concluditur  
cujuscunque  
generis sit  
actio, ea  
non peti  
pretium affec-  
tionis, nec  
jurejurando  
J. L. obti-  
neri.

Quam igitur certum sit; nullum prorsus dari pretium affectionis, secundum statum controversiæ a nobis formatum (§. XXXVI.) idque tum a priori sit demonstratum, tum e Jure Romano evictum, tum denique e sensu communi comprobatum; sequitur, ut pretium affectionis cesset, sive ex delicto, sive quasi delicto, sive contractu, sive quasi ex contractu obligatio descendat, & sive contractus sit bonæ fidei, sive stricti juris, denique ut nec judex possit determinare affectionis pretium, nec actor, adeoque ut nec *jurejurando in litem affectionis, pretium petatur*, de quo ultimo casu ut adhuc distinctius agamus, instituti nostri ratio postulat.

## §. XLIV.

Quoad jus-  
jurandum  
J. L. adduci-  
tur objectio  
practicorum,  
desumpta a  
communi  
jurejurandi  
in lit. for-  
mula.

Ante omnia scrupulus aliquis, quem nobis injiciunt practici, lectoribus eximendus est, dum omnes fere uno ore dicunt, posse omnino actorem jurare: *se non habuisse centum imperialium, quam istius de qua actio mota est, imaginis juraturam facere*; Er wolte lieber 100. Thlr. als das Bild versöhren haben. Vid. STUCK. I. *Conf. 4. num. 647*. Atque ita etiam sententiam interlocutoriam concipiendam esse censet HAHNIVS ad WESENBECK. *Tit. de in lit. jur. n. 7.* Quod reus ad commune pretium corporis 100 imperialium actori solvendum sit obstrictus, nisi voluerit *jurejurando adferere*  
actor,



actor, malle se mille imperiales amittere, quam re sua cavere, tunc enim ad indicatam estimationem eum admittendum esse, eaque facta, sententiam legibus conformem secuturum. Es könnte und wollte Kläger einen Eyd zu Gott auf sein heiliges Evangelium schweren, daß er lieber v. gr. 1000. Thlr. verlieren, als das Seine entbehren wolte, daß er alsdann mit angeboteurer Estimation zuzulassen, und darauf ergehen solle was recht ist. Conferatur fufius Illustr. DN. WERNHERVS in Select. Observat. Forens. Part. IV. Obs. 151. n. 376. pag. 417. Ex hac autem formula tum jurandi, tum interloquendi, sole meridiano clarius elucet, jusjurandum in litem, ob affectionis pretium praestandum nec adeo obsonum, nec a viridi (ut vulgo dicunt) obfervantia alienum esse.

### §. XLV.

Qui ita ratiocinantur, eos triplici responsione dimit-  
 mus. Namque 1.) ambabus largimur manibus, posse eum, Quæ refelli-  
 tur respon-  
 sione prima. qui rei alicujus, affectione suæ estimata, fecit jacturam, salva veritate adserere, se maluisse 100. imperiales, quam istam rem, veluti imaginem avi sui, amittere; etiam illud adjungimus, eundem adsertionem suam sexcentis jurationibus posse firmare: *Attamen inde sequi, tanti condemnandum esse reum, quantum hacce jurisjurandi formula expresserit actor, hoc quidem est, quod negamus ac pernegamus, idque tum a posteriori, tum a priori ita damus evictum: Quisque lectorum meorum salva conscientia jurabit: malle se mille imperialium, quam unici digiti auricularis facere jacturam. Num vero inde obsecro te, sequitur, eum, qui tibi auricularem digitum, vel dolo malo, vel per culpam amputavit, mille imperialibus tibi condemnandum esse? & num horum acquisitio jacturam digiti supplebit? Dices forte, pœnam fore: sed ubinam in praxi Germaniæ receptum est, actorem debere suo beneplacito*

E

cito

cito poenam reo dictare, & quidem poenam, proprio actoris lucro eedentem? Quod vero jurata ista procedat assertio, ejus ratio hæc est: quod comparatio *diversarum* inter se rerum fiat, cum enim affectio *pretium nullum* prorsus, adeoque *nec maximum* recipiat (per deducta superius) hinc quodcumque tu nomines ac determines pretium, semper dicere poteris, te maluisse pretio isto, quam digito tuo carere. Ergo hoc juramentum non poterit operari, ut iudex pronunciet: reum *tibi* obligari ad mille imperiales solvendo. Et qualis hæc est consequentia: *Vellem ego* potius centum imperialibus, quam ista effigie carere: Ergo alter, qui hoc *non vult*, debet mihi invitus solvere 100?

## §. XLVI.

Secunda &  
tertia.

Deinde quando 2) viridis observantia & quotidiana hujus formulæ praxis urgetur, reponimus: plane non sequi; quicquid practici in libris suis scribunt, illud etiam in praxi obtinere. Scilicet miserrime de litigantium corio civium luderetur, si hæc omnia in praxi obtinerent, quæ in practico opinionione, typis licet expressis, leguntur: Multa evaserunt praxin, & in pragmaticorum tamen cerebrum ac libros se recipientia, mordicus defenduntur. Et sane nos quoque infra exhibebimus Latinam & Germanicam tum jurisjurandi in litem, tum sententiam ferendi formulam: sed inde non poterit inferri, esse nostram doctrinam in praxi receptam, nisi de hoc aliunde constet. Denique 3.) regerimus formulam hanc a principiis & praxi Juris Romani toto cælo esse diversam, quod paulo post fusius evictum dabimus.

## §. XLVII.

Jurejur. I. I.  
non deter-  
minatur pre-  
tium affe-  
ctiois, sed

Sic itaque palmario dubio exploso, thesin nostram proponimus sequentem, trimembrem. I.) *In Jure Romano per jus-  
juram-*

jurandum in litem nunquam ex intentione Legum civilium peti-  
tum ac determinatum fuit, pretium affectionis, sed II.) intro-  
ductum est jusjurandum in litem, ut mediante eo determinave-  
tur pretium singularis interesse, lucri scilicet cessantis, vel da-  
mni emergentis. III.) quandoque tamen in subsidium etiam ad  
solum pretium corporis commune determinandum, illud est adhi-  
bitum. Probamus I. membrum a) ex eo, quod in Jure Ro-  
mano nusquam pretii affectionis fit mentio, & b) quod in  
genere negatur dari pretium affectionis, sed potius c) pretio  
estimanda atque affectione estimanda, disertis verbis invicem  
opponantur (vid. textus alleg. §. XXXVI.) jam quicquid in  
genere negatur in Jure Romano, illud nec potest admitti in  
specie in causis, ubi jurijurando in litem locus est, nisi doceri  
possit diversitatis ratio (per §. XLIII.)

### §. XLVIII.

Apparet porro d) membri I<sup>mi</sup> & II<sup>di</sup> veritas evidentis-  
sime ex ipsa jurijurandi nostri formula, quæ hæc erat:  
*Tanti mea interesse juro.* Atque hoc evidenter liquet ex  
L. 10. ff. de in lit. jur. Vbi CALLISTRATUS: *In instru-  
mentis, quæ quis non exhibet auctori permittitur in litem jurare  
quanti sua interest ea proferri, ut tanti condemnetur  
reus: idque etiam Divus Commodus rescripsit.* Ex quo liquet,  
formulam hanc rescripto Imperatoris esse confirmatam. Ea-  
dem formula repetitur ab VLPIANO in L. 3. ff. eod. Nummis  
depositis judicem non oportet in litem jusjurandum deferre ut  
juret quisque quod sua interfuit: cum certa sit nummorum  
estimatio, nisi forte de eo quis juret, quod sua interfuit  
nummos sibi sua die redditos esse. Quid enim si sub pæna  
pecuniam debuit, aut sub pignore, quod quia deposita ei pecu-  
nia abnegata est, distractum est. Quin imo, quod notatu  
dignissimum est, videntur jam apud Romanos ejusmodi alie-  
narum

Singularis  
interesse,  
quandoque  
etiam solum  
rei inter-  
emptæ.  
Quod probatur argu-  
mento 1. 2.  
& 3.

Adducitur  
argum. 4.  
a formula  
jurisjur.  
I. I. Roma-  
nis usitata,  
apud quos  
expresse re-  
jiciebatur  
hodierna  
prætorum  
formula.  
Ostenditur  
etiam, quod  
locutio:  
tanti &  
quanti jurare  
in litem fit  
elliptica.

narum opum vultures fuisse, qui explicatione quadam cavil-  
 latoria usuri, mallent hac formula uti, quam e practico-  
 Germanicorum libris §. XLIV. allegavimus, ut scilicet jura-  
 rent: *pluris sua interfuisse*; sive, se *praoptasse 100. uncialium*  
*jaeturam*, sed eorum captiones atque inventa rabulistica gra-  
 viter retundit IAVOLENVS in L. 9. ff. eod. *Cum furti agi-*  
*tur, jurare ita oportet; Tanti rem fuisse, cum furtum fa-*  
*ctum sit; non adjici: Eo pluris ve, quia quod pluris est,*  
*utique tanti est.* Hoc quasi e tripode dictum sequenti para-  
 phrasi illustramus: *Jurandum est; tanti pretio rem furto sur-*  
*reptam fuisse, neque enim toleramus formulam cavillationibus*  
*obnoxiam: pluris sibi rem, quam centum imperialium fuisse:*  
*qui enim salva veritate & conscientia adserere potest, pluris*  
*sibi rem quam centum imperialium fuisse, hunc in finem, ut*  
*petat, tanti sibi condemnari reum, is sane poterit & hac for-*  
*mula, minoribus obnoxia fraudibus & cavillationibus uti: sua*  
*centum imperialium interfuisse, quod enim vere majoris est, id*  
*procul dubio tanti est.* Collegimus nos istam e Pandectis juris-  
 jurandi nostri formulam, nec aliam potuimus invenire: post-  
 modum evolvimus BRISSONIVM de formulis & solemnibus  
 Pop. Rom. verb. Lib. V. p. m. 458. qui ipsi non aliam exhibet  
 hujusce jurisjurandi formulam, addi his textibus potest,  
 L. ult. §. 1. ff. de Appellat. ut & L. 15. §. 9. ff. quod vi aut clam.  
 ubi dicitur: *Sed quod interfuit aut per jusjurandum, quod in*  
*litem actor juraverit, aut judicis officio aestimandum est.* Con-  
 spirat cum his l. 7. pr. ff. de Administr. & periculo tutorum. Si  
 quis igitur dolo inventarium non fecerit, in ea conditione est,  
 ut teneatur in id, quod pupilli interest, quod ex jurejurando  
 in litem aestimatur. Quinimo, quoties in legibus dicitur,  
 tanti condemnandum esse reum, quanti in litem juraverit ac-  
 tor, veluti in L. 8. ff. eod. toties existimo verbum: *interest,*  
 per ellipsin esse omissam, ut sensus sit: *quanti sua interesse jura-*  
*verit*

*verit actor*; nisi enim hoc supponatur, suspicor summopere, offensuram esse Latinas aures hanc locutionem: *tanti vel quanti* jurare, neque enim verbum *jurare* cum casu secundo, aut substantivo vel adjectivo, sed semper cum alio *verbo* solet construi; at vero *interest*, recipit genitivos *tanti & quanti*.

## §. XLIX.

Confirmatur præterea sententia nostra, & utrumque propositionis nostræ membrum *e)* ex analogia *jurisjurandi in litem*, si enim *affectionem* habuisse erga rem aliquam, sufficisset ad jusjurandum in litem, dicas mihi, quæso, quomodo arbitrio judicis potuisset relinqui, velletne hoc jusjurandum deferre, an non? Cogita, obsecro te, qua ratione judex potuisset *minuere summam* ab altero expressam, & præfinire summam usque ad quam juraretur? Sane cum nemo propriam suam affectionem possit pecunia æstimare, multo minus alter alterius affectionem pretio taxabit. Imo eum affectio sit res, quæ uni ce ad sensationem cujusvis internam, *cogitationem* ac desiderium redit, nemo poterit vel adserere vel negare, sitne alterius affectio vera, an per diram lucri sitim obtentui sumta. Sed hæc dubia evanescent, si jurejurando in litem dicas, *pretium singularis interesse* fuisse indicatum, hujus enim interesse causas quisque allegare poterit non usque adeo ac penitus occultas, ut non aliqualis oriatur pro ipsius adferro probabilitas; allegata etiam causa, poterit judici constare, utrum spes singularis lucri capiendi probabilis fuerit, an improbabilis, fieri enim posset, imo sæpius fieri solet, ut tale interesse allegent homines, quale is in animo habuit, qui ex olla melle repleta vendita, emtisque sibi gallinis, post ovibus, tandem se equis vecturum lætabatur, lætabundusque equos (quos cogitatione jam præsumebat) baculo ad incitatioem impulsurus cursum, ollam suam percussam, inque minutissimas testulas collapsam disjecit;

Proferetur  
arg. quintum  
ab analogia  
jurisjur. I. I.  
petitum,  
quod sc.  
judex possit  
pro arbitrio  
jusjur. hoc  
deferre, &  
quantitatem  
minuere;  
sed neutrum  
posset si me-  
ra subisset  
affectio.

sic quoque an pretium singularis damni emergentis probabile sit an minus. Vide omnino *L. 21. §. 3. ff. de Act. empt. vend.* Judicare porro poterit iudex, sitne honestum, quod expectavit alter lucrum, num bonis moribus contrarium, & quæ sunt reliqua hujus arbitrii capita. Potuisse autem iudicem minuere summam & pro arbitrio suo aut admittere ad hoc jusjurandum actorem, aut ab eodem arcere, frustra negat (quoad posterius) BORCHOLTEN in *Comment. ad Tit. Dig. de in lit. jurando*, nec ipsius sententia confirmatur, ex *L. 4. §. 1. ff. de in lit. jur.* ubi dicitur: *deferre autem jusjurandum iudicem oportet*, nam verba sequentia ostendunt, hanc esse mentem Jcti; *si ponamus*, jusjurandum in litem locum habere, tunc oportere illud, iudice deferente, præstari. Nam in eadem *Lege 4. §. 2. de in lit. jur.* dicitur: *Jurare autem in infinitum licet. Sed an iudex modum jurijurando statuere possit: ut intra certam quantitatem juret, ne, arrepta occasione in immensum juret, quero.* Et quidem in arbitrio esse iudicis, deferre jusjurandum nec ne constat. An igitur, qui possit jusjurandum non deferre, idem possit & taxationem jurijurando adicere, quæritur. Arbitrio tamen bonæ fidei iudicis etiam hoc congruit. Adde *L. 5. §. 1. ff. eod.*

## §. L.

Explicatur.  
l. 4. ff. de  
I. L. J. &  
quomodo  
differat pre-  
tium infini-  
tum a pretio  
immenso  
ostenditur.

Sunt autem adducta Legis verba intellectu paulo difficiliora, neque enim liquet, quo sensu VLPPIANVS affirmet, in infinitum usque jurare posse actorem, & tamen in immensum jurare eundem posse mox neget. Quod ut distinctius adpareat, & ne pretii affectionis patroni in ista Lege plus quam pueri in faba invenisse se putent, mentem Jcti exponam: Scilicet *in infinitum* vocat pretium, *singularis utilitatis vel damni*, quod, *relatione facta ad pretium intercepti* destructive corporis, nullam cum hoc habet proportionem: Ita ut dici nequeat  
actio

actorem duplum, triplum, quadruplum, imo decuplum &c. petere, sed licet corpus ipsum *nullius plane pretii* sit, adhuc *centum nummi* & plures, ob *pretium singularis lucri cessantis* iuste peti queant. Exemplum legati, sub conditione alendi sciuri relictī, quod maxime hujus loci est, adduximus §. XXVI. similem speciem ex NERATIO profert ULPIANUS in *L. 23. pr. ff. ad Leg. Aquil. si servus, beres institutus, occisus sit* (post mortem testatoris & ubi nullum prorsus dubium circa hæreditatem adeundam superesset,) *etiam hæreditatis aestimationem venire*. Fac enim servum fuisse furem, nauci & *nullius pretii homuncionem*, & ob amissam hæreditatem in infinitum dominus jurabit, si pretium hæreditatis cum *corpore occisi servi* comparaveris. Cæterum quæ in parenthesi adjecimus, tendunt ad conciliandum ULPIANUM cum PAVLO, si saltim conciliari possunt, nam PAULUS in *Leg. 63. in fin. pr. ff. ad Legem Aquiliam*. negat ob amissam tali modo hæreditatem majoris condemnandi reum esse, forte ex hac ratione, quod adhuc variis dubiis esset involuta hæreditatis aditio & acquisitio, vel ob latens æs alienum, vel absentiam domini, vel testamenti ancipitis, atque ab hæredibus legitimis aut Prætoriiis impugnandi &c. Quicquid vero horum sit, confirmatur saltim *Ulpiani* sententia auctoritate Justiniani Imperatoris in *§. 10. I. de Leg. Aquil.* Sed ut ad textum nostrum redeamus, *immensum pretium* jurejurando in litem indicari atque a reo exigī posse, rectissime negat JCtus, immensum vocans, *quod nullum prorsus numerum terminalem admittit*, quæcunque enim allegatur singularis utilitas, modo omnino recipiat pretium, poterit illud certo numerorum numero definiti ac determinari. Hisce suppositis, quæ sane supponenda erant, ipsa hæc verba de *infinito* atque *immenso pretio* eleganter confirmant nostram doctrinam & practicoꝝ pretium affectionis laudatum explodunt, revera enim, dum illi tacite negant,

negant, posse defini ac determinari pretium affectionis ad certum nummorum numerum. Eecur enim alias utuntur formula: *Se malle potius centum imperialium facere jacturam?* illud immensum esse statuunt, contra omnem Juris analogiam.

## §. LI.

Doctrina  
nostra de  
infinite &  
immenso  
illustratur &  
mathesi per  
res infinite  
parvas.

Qua de immenso atque infinito diximus, illis haud exiguum lucem foeneratur mathesis, quando mathematici dicunt; *quantitatem infinite parvam esse particulam quantitatis longe majoris adeo exiguam, ut cum hac plane comparari nequeat* e. g. Si quis dimetiatur montis altitudinem, atque interim pulvisculum e vertice montis flatu venti dejiciatur, non ideo mons erit depressior, quia pulvisculi quantitas *comparatione facta ad montis integram altitudinem est infinite parva, sive quia determinari nequit, quota parte altitudo montis sit imminuta.* Sic quoque globus telluris supponitur in computationibus eclipsium lunarium perfecte Spharicus, & montium turriumque altitudines pro infinitesimis habentur, hoc est, quarum proportio cum globo non possit indicari. Confer. omnino Celeberr. DN. WOLFFII *Elementa Analyseos Part. II. Sect. I. cap. I. n. 2. - 5.* Eodem enim modo *pretium intercepti corporis commune infinite parvum* vocatur, *comparatione facta ad pretium singularis utilitatis, & vice versa pretium singularis utilitatis infinite magnum* dicitur, respectu habito ad *pretium corporis.*

## §. LII.

Explicatur,  
& conciliantur  
cum nostra  
doctrina  
tres Pandectarum  
textus.

Sententiae nostrae contrariari quidem videntur nonnulli Pandectarum textus, quorum tamen haud difficilis conciliatio est. Sic quando ULPIANVS dicit in *L. 1. ff. de in lit. jur.* *Rem in judicium deductam non idcirco pluris esse opinamur, quia crescere condemnatio potest, ex contumacia non restituentis* per



per jusjurandum in litem: Non enim res plaris fit per hoc, sed ex contumacia aestimatur, ultra rei pretium; opponit ibi solummodo commune pretium corporis ipsius seu rei, pretio singularis utilitatis sive causarum corpori coherentium. Eadem mens est MARCELLO in L. 8. ff. eod. Tutor rem adulti, quam possidet, restituere ei non vult, quaro: utrum quanti res est; an quanti in litem juratum fuerit, condemnari debet? Respondi: non est aequum pretio (i.e. quanti res est) litem aestimari, cum & contumacia punienda sit; & arbitrio potius domino rei pretium statuendum sit, potestate petitori in litem jurandi concessa. Saltim ex hac lege novum oritur dubium, cum juramentum in litem poenam aliquam dicatur continere; jam vero poena ab eo, quanti vere actoris interest multum differt. Sed & hoc evanescit, si observes, poenam vocari ideo, quia in effectu reum perinde affligit, ac si is veram solveret multam, licet enim minime fiat locupletior e re intercepta, nisi quanti ipsa res constat, nihilominus tamen ad pretium singularis utilitatis, ex qua utilitate nihil ad ipsum pervenit (§. XXI. & XXIIIX) solvendum est obstrictus, quod in b. f. possessore, rem aliam possidente, secus se habet. Ergo comparatione facta cum bonae fidei possessore, recte dici potest puniri is, qui, quanti actor sua interesse juraverit, solvere cogitur, & vox: poenae in statim adducenda lege eodem sensu occurrit. Gravissime autem nobis adversari videtur PAULVS in L. 2. §. 1. ff. cit. Tit. Interdum quod inter sit agentis solum aestimatur, veluti cum culpa non restituentis aut non exhibentis punitur, cum vero dolus aut contumacia non restituentis aut non exhibentis: quanti in litem juraverit actor. Observandum vero est, quando ad Interesse agitur, secundum Juris analogiam & sanæ rationis dictamina, actorem debere interesse suum probare (per §. VIII. & IX.) qui vero ad jusjurandum in litem admittitur, sua adsertione illud

determinat; jam vero si quis probare iustus in probatione deficiat, licet veritatem & in nostro casu, verum interesse suum allegaverit, locum tamen habet illud: tibi non deficit jus, sed probatio; hoc autem non verendum est ei, cuius iurijurando res est commissa. Accedit & hoc quod ad iurandum admissus, saepe de credulitate sua, & probabili futuro lucro, quod crediderat, se obtenturum fuisse, juret, ac fieri potest, ut spe sua postmodum excidat, quo sensu dicit idem PAULUS in *L. fin. ff. cod. De perjurio ejus, qui ex necessitate juris in litem juravit, quæri facile non solere*. Ergo in adductis *l. 2.* verbis opponuntur tantummodo *interesse suum* probare, & interesse iurijurando definire, ut mens JCTI sit hæc: *interdum quod inter sit agentis* (prouti de eo ex actis & probatis constat) *solum æstimatur*, interdum quanti (sua interesse vid. §. XLVIII. in fin.) in litem actor juraverit. Atque ex his denuo solvi possunt nodi, qui forsitan circa leges antea hoc ipso §. adductas supersunt: Secundum hæctenus deducta explicari quoque debet. *L. 68. ff. de Rei Vind.* quam integram apponere supervacaneum duco.

### §. LIII.

Ut æquitas  
iurijur. in  
lit. pateat,  
ubi actor in  
puncto prin-  
cipali &  
propria  
causa jurat,  
defenditur  
illa t.) e ta-  
cito con-  
sensu rei.

Quum igitur tantopere a Juris regulis deflectat nostrum iurijurandum, uti tum e §. præc. tum §. VIII. & IX. liquet, superest, ut jam dispiciamus, quibus casibus iurijurandum in litem locum habeat, & quamam ejus sit æquitas? Res autem ipsa docet, nonnisi duobus casibus, supra §. IX. adductis æquitatem hujuscæ iurijurandi in causa propria & puncto principali concipi posse; quod autem ad ista duo momenta res omnis redeat, evidentissime docebimus. Scilicet postulamus nobis dari, iurijurando in litem *potissimum in arbitrariis actionibus* locum fuisse, jam vero arbitrariæ actiones triplicis secundum Jus Romanum generis sunt, quarum indolem elegant

ganter exposuit VINNIUS in Comment. ad Inst. Tit. de action. §. 31. ex quo nostro infervitura scopo brevibus adducemus. Scil. 1.) ab initio, post causæ summariam cognitionem, judex pedaneus, jubebat rem in litem deductam dari, reddi, exhiberi, restitui, cui arbitrio, si non pareret reus, dolo malo gravior sequebatur condemnatio, veluti in quadruplum, vid. omnino l. 14. §. 1. ff. quod met. causa; aut quanti sua interesse in litem jurasset actor, quod elucet ex L. 3. §. 2. ff. ad exhib. Præterea in hac actione notandum est, quod reus contumax per in litem jusjurandum petitoris damnari possit ei, judice quantitatem taxante: formula hac fere a prætoris judici pedaneo præscripta: *Si ea res, de qua agitur, arbitrato tuo non exhibita fuerit dolo malo, judex quanti in litem juraverit actor, reum condemna.* Jam vero hoc casu æquitas jurisjurandi in litem demonstratu non est difficilis, dum enim reus contumax dolo malo parere volebat judici, rem exhibere aut restituere eum jubenti, cum tamen e data prætoris formula sufficienter perspexisset, actorem si reus contumax esset, ad jusjurandum I. L. admissum iri, eo ipso consentiebat tacite in hoc jusjurandum; consentiente autem altera litigantium parte, alteram juste, etiam quoad punctum principalem, in propria causa ad jusjurandum admitti, evicimus §. IX. Sed hæc ratio cessabat, si dolus iste abesset, hinc si reus non posset rem exhibere, neque tamen dolo malo effecisset, quo minus posset, jubebatur tantummodo cavere, se exhibiturum, si in potestatem suam pervenisset L. 12. §. 5. ad Exhib.

§. LIV.

Præterea 2.) aliæ actiones arbitrariæ eo tendebant, ut per ipsam demum causæ disceptationem in judicio peractam, de eo, quanti actoris interesset, constaret, quod arbitrio judicis

2.) E semiplena probatione, cui saltem superadditur jusjurandum I. L.

dicis determinandum erat: Veluti in *actione de eo, quod certo loco*, ubi accedente imprimis adversarii dolo, postquam satis probabile interesse suum ejusque causas speciales (quæ prolixè tit. ff. de eo quod certo loco enumerantur) adduxerat actor, earumque aliqualem judici fidem fecerat, haud erat iniquum, ipsum ad jusjurandum I. L. admitti, quod instar suppletorii fuisse jam diximus §. XLIX.

§. LV.

2.) E præsumptione juris contra dolo sum reum, & pro actore decepto militante.

Denique 3.) in quibusdam arbitrariis actionibus non tam de singulari utilitate & eo quanti actoris interesset, quam potius de *rebus ipsis principalibus & speciebus* interceptis questio vertebatur; huc e. g. referenda est actio tutelæ, quæ in Codice *arbitrium tutelæ* vocatur, ubi tutor ob omissam inventarii confectionem suspectus summopere, imo noviori jure infamis erat, adeoque meliori existimatione gaudens actor ipse potius quam reus ad jusjurandum admittebatur. Hujus itaque jurisjurandi æquitas in sinistra Legum & judicis opinione, contra actorem militante, (vulgo præsumtionem juris & hominis vocant) atque e contrario optima opinione, quam Judex de reo concipere poterat & debebat, unice quaerenda est.

§. LVI.

Haec tamen de arbitrariis actionibus dicta applicentur ad judicia bonæ fidei.

Neque tamen ea, quæ de Actionibus arbitrariis diximus, cum adduximus in finem, ut jurisjurandi in litem usum in actionibus bonæ fidei excluderemus; Quin potius in his eandem prorsus esse rationem vel me non monente, quivis intelligit, qui §. LIV. & LV. paulo curatius fuerit contemplatus. Sic quoad ipsas *species interceptas* jurisjurando in litem locus esse potuit, si v. gr. supponas cistam obfignatam apud aliquem esse depositam, eaque effracta, depositarium res aservatas

servatas intercepisse, & male consumfisse. Quis enim nebulonem ejusmodi ad jusjurandum admitteret, & quis usque adeo rationi omni ac æquitati remitteret nuncium, ut non potius actori jusjurandum in litem censeret deferendum? eo magis quod actionis fundamento, *depositam scilicet cistam esse*, probato, de rebus ipsis depositis non possit non saltem quodammodo constare. Idem circa actionem ex recepto institutam aliasque quam plurimas contingere potuisse, supervacaneum foret, multis exemplis illustrare.

§. LVII.

Ad *stricti juris* judicia autem quod attinet, in iis, quæ talibus, (h. e. nisi prætor arbitrariam dedisset actionem vid. §. LIII. & LIV.) non locum habebat præstatio ejus, quod intererat, sed res ipsa in stipulationem deducta debeat præstari: Attamen si hæc non existeret amplius, per dolum gravemve culpam rei peremta, prætor ejus æstimationem inire non poterat, ergo adhuc jurijurando, quo *pretium speciei* seu *corporis* determinaretur, erat locus, ob eandem quam §. præc. adduximus rationem. Hinc MARCIANUS L. 5. §. 4. ff. de *in lit. jur.* plane interdum inquit: *Et in actione stricti judicii in litem jurandum est, veluti si promissor Stichum moram fecerit, & Stichus decesserit, quia judex æstimare sine relatione jurisjurandi non potest rem, quæ non existat.* Quod vero in Legibus Romanis passim dicatur, in stricti juris judiciis jusjurandum I. L. excludi, ideo fit, quia illud *primario* & *principaliter* propter interesse determinandum erat introductum, ejusque intuitu præstitum, per *eminentiam jusjurandum in litem* adpellabatur, cum de *pretio speciei* interceptæ regulariter aliunde posset constare.

§. LVIII.

Juvat jam hæctenus de jurejurando in litem uberius dicta, Ex hæctenus dictis formatur desit.

actio juris-  
jurandi I. I.  
per emigen-  
tiam dicti.

in summam colligere brevem. Scilicet jusjurandum I. L. *κατ' ἐξουχίαν* dictum, est, quod, deferente iudice superaddit actor in b. f. & arbitrariis actionibus estimationi ejus quod sua interest, (sive ob lucrum cessans sive damnum emergens) reum obligationi suae per dolum latamve culpam non satisfecisse: Ad compescendam contumaciam vel dolum rei Jure Civ. introductum, quod vel tacite consentiret reus in hoc Jusjurandum, vel sinistra opinione laborans a jurejurando excludendus ejusque loco actor meliori opinione & probabilitate adjutus, ad jusjurandum admittendus videretur, hunc in finem, ut tantum conferebatur actor, quanti sua interesse jurasset, salva tamen moderatione iudicis.

### §. LIX.

Et jusjuru-  
randi I. I.  
irregularis.

Jusjurandum in litem irregulare & subsidiarium est, quod deferente iudice, superadditur assertioni actoris, qua is pretium ipsius corporis, quod non exstat, determinat, quod estimationem ejus praetor inire nequit, tam in bona fidei quam stricti juris judiciis locum habens. Finis & aequitas hujus convenit cum adductis §. praeced. Atque ex dictis jam liquet, quid sibi velint Jcti distinctione inter juramentum in litem affectionis & veritatis; scil. affectionem cum eo, quod vere interest, confundunt, veritatis autem jusjurandum est, quo ipsius rei vel corporis intercepti aestimatio inicitur. Quamvis autem in verbis faciles simus, e doctrina tamen nostra elucet, utriusque generis juramentum veritatis esse, nam utroque casu de eo jurat actor, quanti sua vere interesse existimat.

### §. LX.

Jusjurandum  
Zenonianum  
quid?

Sequitur etiam ex adductis jusjurandum Zenonianum, quo actor damnus per vim injustam ablativam aut expulsum sibi datum aestimat, nihil aliud esse quam speciem jurisjurandi in

in litem. Neque enim Imperator Zeno aliquid aliud egit, quam ut generalem de Jurejurando I. L. Doctrinam ad istum specialem casum applicandam censuerit. vid. *L. 9. C. unde Vi.*

§. LXI.

Ad jus patriam praxinque hodiernam jurisjurandi nostri quod attinet; ante omnia rei indubia instar supponimus, pœnas pecuniarias Juris Rom. lucro actoris cedentes apud nos non esse receptas, sed potius fructibus jurisdictionis esse accensendas, qua in re otium nobis fecit B. DN. THOMASIVS *Disput. de usu action. penal. Juris Rom. in For. Germ.* unde concludimus: actiones civiles ad damni dati reparationem solummodo tendere, nisi multa, lucro actoris cedens, speciatim legibus moribusque patriis introducta possit doceri; consequenter nec jusjurandum in litem ad aliquid aliud quam ad damni dati reparationem tendere. Quod quidem in hoc argumento adhuc evidentius elucet, e jurejurando minorationis, fundato in *Jure Sax. Provinc. Lib. 3. Art. 41.* juxta quod permittitur reo, jurato adserere, minoris esse rem, quam illam esse perhibuerat actor, hoc ipso autem procul omni dubio *pretium affectionis* excluditur. Cœterum tum ipse textus Jur. Sax. tum sana ratio docet, huic jurisjurando unice locum esse posse, quando de *pretio ipsius corporis* intercepti est quæstio, nequaquam vero, quando de *pretio singularis lucri cessantis*, aut *damni emergentis* quæritur, neque enim reus interesse actoris scire potest. Præterea ne hoc quidem æquum censemus, ut reus pretium corporis æstimet, quum ipse forte nimis exiguo pretio illud vendiderit, imo quum doloso interceptori in propria causa juraturo fides nulla sit habenda; quamobrem merito jusjurandum hoc minorationis in Sax. Electorali est abrogatum per novissimam *Emendat. Ord. Proc. ad Tit. XXXI.*

Ut de prænt hodierna jurisjurandi I. L. constet, ostenditur, illud tantum tendere ad damni dati reparationem.

§. LXII.

## §. LXII.

Unde excla-  
ditur pre-  
cium affe-  
ctionis, &  
respondetur  
ad objectio-  
nem.

Cum igitur actor nihil aliud, actione civili instituta quam damni dati reparationem consequatur, (§. præc.) elucet, quod ob affectionem non possit rem destructam aut interceptam majoris aestimare, cum *affectionis* invito reo nullum sit *pretium*, per ea, quæ supra fusissime demonstravimus; unde & vulgo laudata jurisjurandi I. L. formula, supra jam refutata, minime in praxi toleranda est. Objici quidem solet a practicis, cum invitus re sua carere cogatur, æquum esse, ut reus ultra verum rei pretium aliud solvere cogatur: sed si ad multam judici solvendam hoc restringunt, facile, salva nostra thesi, eorum sententiæ subscribimus; sin de lucro, actoris illud explicant, consequentiam hanc negamus, neque enim ex dolo rei locupletior actor fieri debet. (§. præced.) Et licet ob affectionem aliquod ab ipso incommodum sustineri haud invito largiamur, (vid. §. XLII.) jactura tamen hæc iis accensenda est, quæ reparari non possunt, nec nummo sarciri (per §. XL.)

## §. LXIII.

Juramentum  
I. L. etiam  
ob culpam  
rei, & in  
quibus vis  
actionibus  
hodie locum  
habet.

Ex dictis consequitur, jurijurando in litem vel *pretium corporis* interempti, vel *singularis utilitatis* in praxi indicari, adeoque nec inter dolum, nec culpam actoris, nec inter b. f. & stricti juris judicia distinguendum esse, imprimis cum stricti juris actiones ne quidem in Germania occurrant. Teste Illustr. DN. BOEHMERO in *Tr. de Actionibus* Sect. I. C. 3. §. XXIX. -- XLVII. Observandum saltem est, practicos, de pretio affectionis loquentes, revera *pretium singularis utilitatis*, vel *damni* in animo habere, quod passim cum affectione confundi, supra jam observavimus. Ne vero ea, quæ de praxi adduximus, gratis videamur dixisse, juvat ad

CARPZO-



CARPZOVII, Viri pragmatici, atque in rerum argumentis versatissimi, auctoritatem provocare. Postquam enim is *P. I. Const. 23, Def. 19. n. 6.* adduxerat distinctionem inter *dolosam & culpofam læsionem*, addit tandem *n. 9.* Non memini tamen in praxi *differentiam hanc multum attendi quin potius arbitrio judicis relinquì, quando juramentum hoc sive affectionis (h. e. singularis interesse) sive veritatis (h. e. ipsius corporis intercepti) deferendum existimet &c.* Ex quo fit, ut hodie non solum in omnibus *b. f. actionibus sive in rem, sive in personam, quibus res restituitur, sed etiam stric- tis judiciis, arbitrariis & non arbitrariis ex causa justa atque sufficiente in litem juretur, ut notat RAVHB. P. I. Quæst. 9. num. 32.*

§. LXIV.

Ergo ut de pretio corporis constet, si plurium rerum interceptarum pretium actor a reo postulat, singula (quantum fieri potest) adducenda, singulorumque pretium speciatim indicandum, & prævia judicis moderatione, jurejurando confirmandum existimo, ejusque formulam ita puto concipiendam; ut omnis æquivocatio excludatur, & tantum præcisè sibi ex *bonis* abesse actor indicet, quod ne gratis dixisse videar itidem CARPZOVIVM mecum sentientem allego. Exhibet scilicet is varias sententiarum huc spectantium formulas *cit. P. I. C. 23. D. 18.* *Bürde Kläger die moderirte Summen eydlich erhalten und schwehren, daß er die abgenommene Mobilien so hoch und nicht geringer, als er sie in den Verzeichnuß fol. 196. angegeben, achte, auch so viel und nicht darunter von seinen Haab und Güthern verlohren und entbehren müste &c. so wäre Beklagter obgedachte Summe Klägern abzutragen schuldig &c. & Def. 20. Diemeil Klägerer Eheweiber das ihnen zuerkandte Juramentum in li-*

Formula  
jurisjurandi  
I. L., quo  
pretium cor-  
poris deter-  
minatur.



tem auf vorhergehende Liquidation und Gerichtliche Moderation würcklich geleistet, und daß die geforderten Gerade Stückten 55. Guld. 13. Gr. 6. Pf. werth seyn, geschwöhren, so ist Beklagter Klägern angeregte Summe &c.

§. LXV.

Quomodo  
formola ejus  
concupienda  
sit, si pre-  
tium singu-  
laris interesse  
postuletur?

Ex eadem ratione adhuc infero, si postuletur pretium singularis interesse (cujus elegans exemplum HUBER ad ff. Tit. de in lit. jur. de avvocato, qui catalogum nominum mercatori alicui per culpam interceperat, exhibet) *specialem causam* damni emergentis aut lucri cessantis ab actore non solum exprimendam, verum & jurisjurandi formulæ insereendam censeo, ut non sufficiat summam saltim in genere indicare, quia id cavillationibus obnoxium esse, & sæpe utilitatem inani minusque probabili spe nixam esse supra §. XLV. & XLIX.) jam docui.

§. LXVI.

Carratissime  
ob pretium  
singularis  
utilitatis  
jurisjurando  
I. L. fit  
locus.

Sed cum adductis illis specialibus causis plerumque evenire soleat, ut *terti* alicujus *factum* concurrat; nam aut allegabit actor se tanti rem vendere alicui potuisse, aut tantum se erogare necesse habuisse, hinc est quod testem adducere actor, atque ita probare necesse habeat, hinc plerumque si jusjurandum superadditur, illud consuetum superpletorium erit, adeoque vix jurisjurandi I. L. nomen merebitur. Notanter dico *plerumque*: est enim hæc res facti, atque in occultis, si saltim probabilitate aliqua nitatur actoris adfertio, atque in occultis, si saltim de re ipsa intercepta constet, ignorato pretio, arbitrio judicis ipsi deferri posse jusjurandum non negamus, uti antea adductum ex Hubero singulare plane exemplum docet.

§. LXVII.



## §. LXVII.

Quæ cum ita sint, irregulare illud atque extraordinarium jusjurandum in litem Juris Romani (vid. §. LIX.) magis apud nos in usu est, quam ordinarium (vid. §. LVIII.) Et sane ad illud referendæ sunt species supra e Carpovio adductæ. Locum vero habet in subsidium, si de pretio aliter constare non possit, & tamen æquitas omnino postulet, pretium actori refundi; usque adeo ut vel iis casibus, ubi Jus Romanum inventarium desiderat, vel simpliciter Jusjurandum in litem decernit, praxis Germaniæ reum ad juratam specificationem admittat, eaque demum vel ob *dolum* vel *contumaciam* rei cessante, jurijurando in litem actoris locum relinquat. Adparet hoc ex *Responsio & Sententia Ordinis Actorum Wittebergensium apud Illustr. WERNHERUM Volum. I. Select. Observ. Forens. P. I. Obs. 37.* Diemeil dem Anzeigen nach G. Söhne ihres Vatters Verlassenschaft durch deren üble Administration in eine solche Confusion gesetzt, daß ihnen eine richtige Specification derselben ohnmöglich fällt, in dergleichen Fall aber kein anders Mittel als auf den Eyd in litem zu erkennen übrig, und solches um so viel mehr statt findet, wenn auch eine offenbare Contumacia und Verzögerung der eyblichen Specification sich äussert. So erscheinet dannenhero so viel, daß in gegenwärtigen Fall, Kläger zum Juramento in litem billig zuzulassen. Et *Vol. V. Part. VIII. Obs. 434.* Daß Beflagter diejenigen Gelder, so er kläger Gemeinden halber eingehoben, vermittelst Eydes, zu specificiren und darüber hinlängliche Rechnung abzulegen schuldig, in Verbleibung dessen sind Klägere zu dem Juramento in litem billig zuzulassen.

Jusjurandum itaque I. I. irregulare, quo pretium corporis determinatur maxime in usu est, sed in subsidium demum locum habet,

## §. LXIIX.

Conciliatio  
Practico-  
rum, & in-  
ter se & a  
nobis dissen-  
sientiam.

Quoniam autem in hac disputatione nostra dicam scri-  
pserimus, *pretii affectionis* defensoribus; ne illi nos litium &  
contentionum studiosos existiment, coronidis loco adhuc  
videbimus, utrum practicos de jurisjurandi in litem usu tan-  
topere disputantes conciliare possimus. Profecto, licet pau-  
cissimis datum sit, veritates morales e fontibus suis demon-  
strare atque intelligere, si tamen ad adplicationem ipsam de-  
venitur, imprimis postquam a causarum patronis lis utrum-  
que est ventilata, non solent a veritate vel illi multum ablu-  
dere, qui parvo intellectus acumine sunt præditi, quamobrem  
mitius de practicis sentio, quam ut crederem eos ita obce-  
catos esse, ut contradictorias foveant sententias. Hos igitur  
qui negant jurisjurandi in litem hodie frequentem usum esse,  
explicandos censeo de jurejurando in litem *affectionis*, quod  
plane non datur, item de jurejurando in litem ob singularem  
utilitatem, quod fere instar suppletorii jurisjurandi esse osten-  
dimus, & saltem in subsidium demum locum habere. Omnia  
quæ de pretio affectionis loquuntur ejus defensores, explican-  
da censeo de *singularis interesse pretio*. Denique qui adstruunt  
jurisjurandi in litem usum, intelligendi erunt de *pretio com-  
muni* corporis interemti, sic & inter se conspirabunt, atque  
(§. XLIV. seqq.) explosam ejuraverint, nulla mihi quo-  
que cum illis lis erit, quamobrem cano  
receptui

EN! DEXTRA FIDESQVE  
TANTVM EST.

PRAE

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
 DN. CANDIDATO,  
 DISSERTATIONIS AVTORI,  
 AMICO ATQVE COMMENSALI SVO  
 PLVRIMVM AESTIMATO,

S. P. D.

G. H. LINCK, D.  
 COD. ET IVRIVM PROF. PVBL.

**P**Raeclare rem Tuam peregisti, Praeno-  
 bilissime DN. CANDIDATE, qui vi-  
 tam Academicam ingressus, omnia, quae  
 Te ad maturum atque felicem studiorum fi-  
 nem perducerent, media, sollicite atque stu-  
 diose amplexus es, & animum a corruptio-  
 ne

ne depravatorum seculi morum non munivisti tantum, verum etiam tam per artes quam itinera politioem reddere curavisti. Felici itaque auspicio finis condecoratur vitae Academicae Tuae per conspicuum & in Germania dudum receptum, eumque aestimatum, Licentiaturae, quam vocant, honorem: Et ad complementum felicitatis vitae Tuae, quam ipsa Legis naturae ratio curare jubet, nil amplius superest, quam ut ad debita patriae officia ejusque salutem promovendam Temet componas. Annuat DEVS coeptis, propensissimum studiis & virtutibus Tuis concedat Patriae Patrum affectum, & sic felicissimum Tuorum studiorum, ceu ex animo precor, assequeris effectum. Vale. Dabam Altdorff. Nor. d. xvi. Calend. April. A. R. S. MDCCLXXX.














Altdorf, Diss., 1729-31

X 2344 208





DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE 1730,3  
**IVREIVRANDO**  
IN LITEM  
PRETII AFFECTIONIS  
FIGMENTO LIBERATO  
QVAM  
ANNVENTE DEO TER OPT. MAX.  
AVCTORITATE ET CONSENSV  
MAGNIFICI  
IUCTORVM ORDINIS  
PRO LICENTIA  
SVMMOS IN VTROQVE IVRE  
HONORES AC PRIVILEGIA  
LEGITIME CAPESSENDI  
BENIGNO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBIICT  
IOANNES LAVRENTIVS DORN  
NORIMBERGENSIS  
DIE XXI. MARTII A. MDCCXXX.  
ALTORFII NORICORVM  
TYPIS MAGNI DANIELIS MEYERL